

DELECTUS
OPUSCULORUM
AD PRAXIN MEDICAM
SPECTANTIUM

ANTEHAC

APUD GENTES EXTERAS EDITORUM

QUAE

IN MEDICORUM ITALIAE COMMODUM

COLLEGIT

JOSEPHUS FRANK

JOANNIS PETRI FILIUS, AUGUSTISSIMI IMPERATORIS ET TOTIUS ROSSIAE AUTOCRATORIS A CONSILIIS STATUS, EQUES ORDINUM S. ANNAE, S. WLODIMIRI, THERAPIAE SPECIALIS ET CLINICES IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSOR EMERITUS, PLURIMARUM ACADEMIARUM ET SOCIETATUM MEDICARUM SODALIS.

VOLUMEN PRIMUM.

NOVOCOMI

TYPIS C. PETRI OSTINELLI

MDCCCXXVII.

JOSEPHUS FRANK

Lectori

Accipe, benigne Lector, delectum opusculorum ad praxin medicam spectantium, quae, utpote in regionibus remotis singillatim edita, alias vix ad Te pervenissent. Vides ita opus renasci quadraginta circiter abhinc annis a Patre inchoatum (1), posteaque a Cl. *Aloysio Brera* continuatum (2).

Ab antecessorum more in eo dumtaxat recedendum esse duxi,

(1) Joannis Petri FRANK Delectus opusculorum medicorum. Ticini. Vol. I. a. 1785. — Vol. XII. a. 1793.

(2) Sylloge opusculorum selectorum ad praxin praecipue medicam spectantium. Ticini. Vol. I. a. 1797. — Vol. X. a. 1811.

quod opuscula selecta sine propriis sive tractatibus sive notis exhiberem. Quoad proprios tractatus (quorum plurimi in actis et in diariis a Caesarea societate medica Vilnensi editis exstant, ne de orationibus academicis sparsim typis vulgatis loquar) ingenii tenuitatis conscius, eos ut *selectu* dignos nemini obtrudere volui. Respectu notarum compertum habui, eas, nisi forte ad confirmandum textum inservientes, ab auctoribus plerumque aegre ferri. Praeterea humeri mei conatus majoris momenti nunc ferre recusant, quum iis alioquin grave jam onus impositum sit, videlicet operis: *Praxeos medicae universae praecepta, editio denuo elaborata* (respectu tractatuum de febribus et morbis cutis), *volumen supplementarium* (ad doctrinam de morbis cerebri, medullae spinalis,

nervorum viscerumque functionibus respirationis et circuitus sanguinis inservientium) atque *continuatio*.

In eligendis dissertationibus apud exteros editis, tales, quousque licet, removere placuit, quae hypotheses redolent, aut, quod circiter idem est, quae systematis vestigia offerunt. Tristis enim experientia satis edocuit, zizanium ex agris sterilibus *Brunonis*, *Darwinii*, *Broussaisi*, *Hahnemanni* etcet. ad luxurians Italiae solum delatum, germina a *Redio*, *Vallisnierio*, *Lancisio*, *Morgagnio*, *Ghisio*, *Valcarenghio*, *Burserio* etcet. posita, ita adumbrasse, ut modo nonnisi singula et sparsa eorum vestigia in conspectum veniant.

Nec expectet quis inter opuscula hic selecta talia, quae virtutem pharmacorum novorum extollunt.

Enimvero mihi adhuc persuadeor, sequentia incomparabilis *Burserii* verba necdum omnino ad « *tempi passati* » spectare. « Itali clinici, inquit (1), in Bononiensi in primis, Florentina, et Romana schola enutriti atque instituti . . . . probe sciunt, plurima medicamenta, quae a quibusdam transalpinis mirifice extolluntur, plerumque periclitantium votis minime respondere. Fabulis, et prodigiis, quae passim narrantur, non facile credunt, a *Redio* et *Vallisnierio* viris sane sapientissimis, et prudentissimis admoniti, et cum de remediorum viribus periculum faciendum est; tantam circumspectionem diligentiamque adhibent, ut nullum errori aut praejudicatae opinioni locum

(1) Institutionum medicinae practicae Vol. I. Mediolani 1785. §. L.

relinquant. Quare saepe aliorum periclitationibus decepti, suam propriam experientiam consulunt, et plerumque, licet inviti, ad pristinam medendi simplicitatem, qua summopere natura delectari consuevit, redire coguntur. Id in primis animadvertant tirones, ne credulitatis nimiae eos tandem poeniteat. »

Quemadmodum descriptiones itinerum, eo praecipue fine pervolvi solent, ut inde de moribus regionum remotarum acquiratur notio; ita quoque ab opusculis medicis apud exteros collectis, praecipue notionem de morbis regionum remotarum expeti posse existimavi. Nec id, ni fallor, sine magno fructu. Praeterquam quod notio istiusmodi medicum excultum a plebe collegarum distinguit, efficitur etiam inde, ut morbi patriae propius cognoscantur. Tractatus de

morbo, qui in Scandinavia *Radesyge* appellatur, iique de *plica Polonica*, de *lepra Taurina* etcet. in curriculo hujus delectus passim tradendi, sententiam istam respectu *pellagrae* nostrae comprobabunt.

Volumina molis potius circumscriptae exhibere volui, ne nimii constarent. Antiquo enim effato, « vita brevis, ars longa, » aevo hodierno addi debet: « libri multi, nummi pauci. »

Villa Galliætta
in suburbio Novocomensi
Borgo Vico,
vere a. MDCCCXXVII.

HOC IN VOLUMINE CONTINENTUR:

Carl. Frid. Ed. MEHLIS = *Commentatio de Morbis hominis dextri et sinistri.*

ET

Jo. Guil. Henr. CONRADI = *Commentatio de Cynanche Thyreoidea et Struma Inflammatoria.*

CAR. FRID. ED. MEHLIS

CLAVSTHALIO-HANNOVERANI

COMMENTATIO

DE

MORBIS HOMINIS DEXTRI ET SINISTRI

IN CERTAMINE LITERARIO

CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

DIE IV. IVNII MDCCCXVII

PRAEMIO REGIS MVNIFICENTIA CONSTITVTO

EX SENTENTIA

ILLVSTRIS ORDINIS MEDICORVM

ORNATA.

Symb. *In contemplatione naturae nihil potest videri supervacuum.*

ILLVSTRIS ORDO MEDICORVM

POSTVLAVIT, VT SIBI EXHIBERETVR

nosologica hominis dextri et sinistri descriptio, quae contineret recensum morborum alterum corporis latus prae altero afficientium; simulque exploraretur, utrum caussae huius discriminis a lateris affecti differentia generaliori, an ab organi affecti differentia speciali, aut denique a vario eius usu essent repetendae.

PRAEFATIO.

§. 1. Inter ea, quae corporibus propria forma gaudentibus quam maxime generaliter accedunt, conformatio etiam offertur magis minusve symmetrica. Eiusque varius modus tria naturae scrutatoribus accepta regna quodammodo dirimit. Crystallus enim, quam a globo ab omni parte sibi aequali deducere licet, dummodo perfectam eius evolutionem nullum praehibuerit impedimentum externum, symmetria insignis est ad omnes tres dimensiones conspicua; eadem in regnorum organicorum nonnisi maxime imperfectis formationibus

recurrente. Plantae ac animalis autem si contemplaris habitum totalem, illius partes reperis ad duplicem modo dimensionem esse symmetricas, huius vel nonnisi dextras et sinistras sibi correspondere. Infimi tantum ordinis animalia plantis ab hac parte prope stant, quod et dextra atque sinistra et antica atque postica facies pariter sit constructa; superiorum cum anticas et posticas tum superiores et inferiores partes quae intercedit, analogia (1) minor est et symmetriae nominis utique indigna. Utut vero duo haec regna non ita sibi sese adiungunt, ut planta suprema animali infimo annectatur, sed magis iuxta incedunt, habitus quoque ille animali ceterum peculiaris et in plantarum serie hic illic plus minusve emergit. Quae dextri sinistrique corporis aequalis conformatio, quod e praemissis iam colligere licet, inter animalia in homine nequaquam maxime excellit, sed in ipsis eorum imperfectioribus, hominemque versus pedetentim minuitur (2). Primum in iis evolutum systema, digestivum, primum etiam dispositionem deserit summe symmetricam: quod reliquae deinde sequuntur vegetationem

---

(1) Eam Meckelius prae ceteris egregie exposuit; v. ipsius *Beitr. z. vergl. Anat. B. I. H. I.* 1812. p. 96. seq. et *Handb. d. menschl. Anat. B. I.* 1815. p. 29. seq.

(2) Meckel. *Beitr.* l. c. p. 84 seq. et *Handb. d. m. Anat.* l. c. p. 43.

praecipue spectantes partes, systema respirationis, vasa maiora cum corde et renes. Exacte autem in homine quoque, licet etiam magis absoluta symmetria in animalibus inferioris ordinis insignes esse videantur, partes ab utroque latere sibi respondent, quae eum reliquo mundo connectunt individuum, motui et sensui dicatus apparatus cum centro suo, cerebro et medulla, illaeque, quae propagationem generis prospiciunt; atque adeo exacte, ut, quod ad eas attinet, e paribus duobus in medio eo commissis partibus corpus nostrum unum factum esse videatur. Quod e dimidiis duobus confluxisse minus quidem egregie, aliquatenus tamen et ex parte vel etiam manifeste, organa quoque prius dicta ostendunt; proinde ac, Meckelio (1) demonstrante, e formationis eorum vitiorum, quae ex evolutione inhibita optime exponuntur, ipsorumque teneriorum embryonum observatione luculentius idem palam fit. Anatomica autem corporis dimidiarum partium consideratio quum a commentatione hacce abesse debeat, plura quaerenti praecipua nominasse scripta sufficiat: quibus fusius dicitur cum de dispositione istarum, tam symmetrica,

---

(1) Ei. *patholog. Anat. B. I.* 1812. *p.* 93 et al. loc. et *Beitr.* l. c. p. 66.

quam asymmetrica, tum de plano illo corporis medio, in quo committuntur.

BORDEU recherches s. le tissu muqueux ou l'organe cellulaire. 1769. p. 63. seq.

LOSCHGE de sceleto hominis symmetrico. Praemittuntur quaedam de totius humani corporis symmetria. Erl. 1795.

ISENFLAMM *ü. d. Verschiedenheiten d. r. u. l. Seite* — in ISENFLAMM u. ROSENMÜLLER *Beitr. f. d. Zergliederungskunst. B. I.* 1800. *H. I. n.* 2.

BICHAT *Unters. ü. Leben u. Tod.* Tüb. 1802. p. 16. seq.

HEILAND *Darstellung d. Verhältnisses zw. d. r. u. l. Hälfte d. menschl. Körpers.* Nürnb. 1807.

MECKEL *Beitr. z. vergl. Anat. B. I. H. I.* Leipz. 1812. p. 84. seq.

ARDIEU considérat. anat. et physiol. s. la ligne médiane, qui divise le corps en deux moitiés symétriques. Strasb. 1812.

MECKEL *Handb. d. menschl. Anat. B. I.* Halle 1815. p. 15. seq. p. 34. seq.

§. 2. De morbis humani corporis, quatenus ad hancce eius divisionem attinent, agere praefixum mihi est. Quorum autem consideratio duplici gravis est respectu. Primo enim, quod anatomicis perscrutationibus dedocetur, et iis evincitur, duobus maiorem ad partem accurate ab invicem definitis, intime tamen simul coniunctis corpus componi dimidiis; tum iidem, discrimen aliquod inter haec dimidia interesse, testes sunt in alio latere aliter se habentes.

Quorum quidem in posterius etsi proposita quaestio iubeat praesertim animum attendi, prioris nihilominus etiam magnam habendam esse rationem, e priore eiusdem quaestionis parte prodire arbitror. Morbi autem, quorum apparitio localis dicta corporis bipartitione definitur, dimidiatorum nomine insigniri solent, iique imprimis ipsam nobis revocant. Qui ut a qualibuscunque lateris unius affectibus localibus iuste seiungantur, eo huius verbi notio restringenda est, ut ita sonent nonnisi qui aut plures corporis modo alterius dimidii partes, aut tales teneant exacte dimidias, quae in medio ipso collocatae e duobus non dissitis ab invicem, sed in linea eius intermedia iunctis lateribus conflatae sint. Eorum praecipuos in prima sectione sigillatim recensebo; simulque, ne de eodem morbo bis dicatur, interseram suo loco, ubi aliquem affectum dextrum sinistrumve latus frequentius accedere observatum est, addamque, ni ad generalius, quo utrumque interceditur, discrimen respiciendum sit, quae eius rei causa habenda videatur. Praeterea tamen eo quoque corporis duplicitas indicatur, quod aegra quaeque singula pars laterum eius sibi respondens prae opposito longe magis in consensum sui vocet. Atque de hoc praecipue in altera sectione sermo erit. Ipsum denique generale hominis dextri et sinistri

discrimen, quod specialibus in prima explicatis conficitur et adesse iam structura corporis non ubivis symmetrica demonstratur, in tertia eruere conabor, vitiaque, de quibus, utpote non morbis dicendis superius agi non poterit, primae formationis observatoribus in iis haud aeque frequenter oblata in auxilium mihi advocabo. Grave sane et magni momenti esset inquirere, quid causae subsit, ut in animali maxime perfecto minus perfecta sit symmetria eademque in organis servationi individui dicatis praesertim recedat. Quibus vero quum longius abducerer, in eo subsistendum erit, ut singularum partium declinationem ad dextram sinistramve cum reliquis, quae offeruntur, differentiis conciliare pro virili studeam. Ibidem locus erit generaliter investigandi quid usum variarum partium varium, cuius in quaestione exhibita diserte mentio fit, ad gignendas illas conferre iudicandum sit.

§. 3. Superest, ut scripta allegam de morbis hominis dextri et sinistri ex professo agentia. Quorum admodum paucorum primum nominandum venit.

Du Pui diss. med. de homine dextro et sinistro. Lugd. Bat. 1780 — recusa in Schlegel thes. pathol. therap. T. I. Nr. 1.

Specimen sane eximium et summa cum diligentia exaratum, in quo imprimis sententias

a veterioribus de corporis duplicitate latas bene compositas et doctrinam de nervorum decussatione egregie explicatam invenies: quod vero solos fere morbos dimidiatos pertractat, frequentiam morborum in utroque latere diversam ne tangit quidem. De illis quoque fere solis agitur in

Courmette observations s. la division de l' homme en deux grandes parties latérales, — in Journ. de médec. T. LXXXV.

Fr. Osiander *Krankheitsgeschichte eines Mannes, der blos an seiner linken Seite krank war, mit der Epikrise einer Einleitung in die Lehre von der Verschiedenheit der Krankheiten der r. u. l. Seite überhaupt;* in *Abhandl. d. phys. med. Soc. zu Erlangen.* B. I. 1810. p. 331.

Medicorum de frequentia variorum morborum alia in alio dimidio corpore observata in maxime variis scriptis sparsa sunt. Plura tamen congesserunt Isenflammius in commentatione laudata et

Monteggia de morbis symmetricis et asymmetricis—in ipsius fasciculis pathologicis. Mediol. 1789. Nr. 1.

Nonnulla quoque de morbis hominis dextri et sinistri in dissertatione composita sunt quam iam attuli, ab Ardeu edita.

SECTIO I.

RECENSUS MORBORUM ALTERUM CORPORIS LATUS PRAE ALTERO AFFICIENTIUM.

CAPUT I.

Morbi nervorum.

> **Principium sentiens et movens in sua origine, collectione, distributione et operatione est duplex.**
>
> **Boerhaave *morb. nerv.* T. II. p. 412.**

§. 4. Si de nervorum affectibus dimidiatis in universum quaeritur, ne obliviscamur necesse est, duplex in corpore humano nervorum esse systema ad subeundos illos morbos non aeque accommodatum atque dispositum. Alterum, cerebrale, totum, quatenus patet, in laterales duas dimidias partes divisum est, dextram atque sinistram, quae in solo cerebro et medulla fibrillarum ope transversim excurrentium

mutuoque sese decussantium coniunctae, praeterea a se invicem prorsus separatae atque discretae, si solum vagum nervum thoracis cavum ingressum excipis, neque maioribus ramis sibi se immiscent, neque circa periphericos fines communicationes alunt (1). Hinc omnes morbi, et qui in solius huius nervorum systematis vitio vertuntur, et in quibus praecipuas saltem et primas id tenet partes, nisi omnino generalis affectio ad eorum naturam pertineat, tam frequenter unum modo corporis latus afficiunt, ut vel longe frequentius, quam pari vehementia utrumque corporis dimidium affligi, alterum aut solum laborare, aut gravius prae altero pati, experientia edocuerit. Hinc illa symptomata, quae absque aliarum partium adminiculo illorum nervorum vitium provocat, dolores scilicet variaeque sensus depravationes, quum ab uno modo latere affligant, alterum corporis dimidium attingunt quidem, tamen in illud non transeunt, linea per medium corpus producta affectas sanasque partes quam exactissime separante. Hinc et illi musculi, qui azygi in medio corpore siti ab altero eius latere in alterum fibras transmittunt, ex nervorum in altero latere resolutione ad

(1) Hempel *Anfangsgr. d. Anat.* p. 908.

dimidiam tantum partem motu privantur (1): reliquos enim musculos in altero modo corporis dimidio pessumdari, quum symmetrice ab utroque corporis latere dispositi sint, minus ad nervos pertinere videri possit.

§. 5. Aliter gangliorum systema: quippe quod, si generatim contemplamur, etiam e dextra atque sinistra parte compositum esse videtur, cuius vero ambae partes per multos variosque nervorum plexus invicem commiscentur et implicantur. Apprime respondent eius systematis morbi. Qui licet oculis nostris magis occulti sint, multa tamen nos docent, accurate dimidiatam seiunctionem eorum ne cogitandam quidem esse, sed libere, nulla lineae intermediae, qua totum corpus in duas partes aequales divisum fingere possumus, ratione habita, ex altero in alterum dimidium corpus eos pervagari. Nihilominus autem in iis quoque dimidiata aliqua occurrere phaenomena, ea probant symptomata, quae viscerum, in quibus praesertim hi nervi absumuntur, quodcunque aegrotans eodem in latere, quo situm est, remoto loco provocat, probat consensualis v. g. affectio dextri brachii crurisque,

(1) Hemiplegia sphincteris oris §. 14, hemiplegiae vesicae urinariae §. 17.

quin totius corporis dimidii dextri, ubi hepar aegrotat.

§. 6. Ad haec autem infra redibo, ubi de symptomatibus, quae, ut cum Hippocrate loquar, κατ'ἴξιν fiunt, sermo erit. In sequentibus nunc imprimis de multifariis dimidiatis loquar affectibus cerebralis systematis, cuius morbos speciatim sub nervorum morbis intelligere solemus. Attendam vero in recensendis iis ad ea tantum symptomata, quae in motus muscularis, sentiendi facultatis sensusque organici variis vitiis vertuntur, missam omnino faciam vegetationis ex nervorum affectu in altero corporis latere depravationem. De hac enim nonnulla dicendi infra locus erit.

§. 7. Antequam tamen singula adgrediar, praemittendum etiam arbitror, motuum animalium, ex turbata nervorum musculorumque antithesi emergentibus vitiis truncum dimidium, etiamsi omnes praeterea eius lateris partes iis laborent, admodum raro affici. Cuius rei causam, ni fallor, ex arctiori nexu repetas, qui gangliorum systema omni per corpus vegetationi praesidens musculosque involuntarios solum adiens et respirationi inservientes musculos voluntatis imperio ad partem tantum subiectos intercedit. Convenit saltem, quod ad nervos thoracicos et lumbales superiores, ratione minoris eorum crassitiei, majores accedunt

sympathici rami quam ad reliquos nervos medullae spinalis. — Sentiendi facultatis ac sensus organici varia vitia, eaque praesertim, quae nervis cutaneis insident, eodem modo non se habent, sed pariter dimidium thoracem afficiunt ac brachium alterum vel colli et faciei alterum latus.

I. De vitiis cerebri.

§. 8. Inquisituris nobis, cur morborum systematis nervosi, de quibus mox agendum, alii dextrum frequentius afficiant latus, sinistrum alii, cerebri etiam, e quo tam frequenter oriuntur, vitiorum ratio habenda est sensibus nostris non se subducentium. Saepe quidem quod in cerebri eiusque tunicarum perscrutatione morbosi vel inconsueti nobis occurrit, non causa, sed sequela est morbi, saepe nullum detegimus vitium, unde morbum praeteritum derivemus, interdum vel magnas reperimus destructiones minime exspectatas, quum homo vivus nullum praebuerit symptoma, e quo illas suspicari potuissemus; attamen haud raro etiam dissectio cadaveris veram nobis revelat causam phaenomenorum mortem praegressorum. Quoquo autem haec se habeant modo, ad nostrum finem referet investigare, an vitia cerebri, ratione frequentiae in altero latere

prae altero maioris, iisdem obediant legibus, quibus vitia aliorum organorum. Complectar itaque insequentibus paragraphis quae prodierunt mihi de vitiis istis ex comparatis permultis cadaverum sectionibus, imprimis iis, quas Morgagnius (1), Leutaudius (2), Gredingius (3) in immortalibus suis operibus deposuerunt. Oportuisset quidem ad medullae quoque vitia respicere, sed observationum, quae de iis exstant, tam exiguus est numerus, ut certi aliquid inde colligi nequeat.

§. 9. Abnormis aquae copia in alterum modo cerebri ventriculum lateralem effusa sinistrum plerumque, rarius dextrum inundat, in utroque collecta itidem in sinistro saepius quam in dextro maior adest. In 43 enim casibus sinister ventriculus aut solus aquam continuit, aut maiorem eius quantitatem, in 19 modo dexter. Ad hoc sinistrum ventriculum Gredingius bis reperit adeo dilatatum, ut aliquibus in locis non nisi tenuis cerebralis substantiae lamina superesset. — Itidem inter meninges crebrius in sinistro quam in dextro latere aqua effunditur.

---

(1) De sedibus et caus. morb. per anat. indagatis libri V.
(2) Historia anat. med. rec. Portal. 1767.
(3) Ludwigii advers. med. pract. Lips. 1771. Vol. II. p. 269-314 449-538. Vol. III. p. 630-665. J. E. Greding *sämmtl. medic. Schriften*, *herausgeg.* v. C. W. Greding 1790. *B. I.*

§. 10. Abscessus contra in dextris cerebri cerebellique hemisphaeriis multo saepius occurrunt, quam in sinistris. Observationum a me collectarum 28 dextrum latus, 9 modo sinistrum spectant, ita ut illa pars hac quadruplo fere magis suppurationi obnoxia esse videatur. Nec non alio modo dextri cerebri substantia frequentius quam sinistri degenerare videtur, in nimiam mollitiem v. g., vel duritiem abnormem; vel steatomata aliosve tumores. Qua ex re iuste concludimus, inflammationi dextram cerebri partem prae sinistra magis obnoxiam esse. Afferre tamen oportet, inter sex observationes hydatidum in cerebro inventarum, quas ab anthoribus notatas invenio, quatuor cystidem in sinistro latere, duas in dextro fuisse affirmare.

§. 11. Cum hisce admodum congruit, in dextro latere non solum cerebri substantiam nimis rubram vasaque meningum sanguine nimis turgida saepius inveniri quam in sinistro, sed in eo etiam extravasata sanguinis frequentius deprehendi, sive sanguis superficiem cerebri tegat, sive in ipsa eius substantia cava sibi effinxerit, sive in ventriculis stagnet. Quae quidem iam Morgagnius (1) ex eo collegit,

(1) L. c. Ep. 3. n. 18.

quod inter 15 vera apoplexia sanguinea e vita sublatos in 10 repererit a dextris, in 2 dextris et sinistris, in 2 dumtaxat a sinistris sanguinem effusum fuisse. Eiusque observatio comparatione multi maioris exemplorum numeri bene confirmatur. Simul tamen apparet, differentiam laterum quoad proclivitatem ad haemorrhagiam istam internam non tam magnam esse, ac secundum Morgagnium esse videtur. Qua ratione vero ita fiat, de eo ait vir summus fore forsan, ut minus solliciti simus, quum attenderimus « dextras plerasque partes corporis utplurimum in frequentiori motu esse quam sinistras, et, quod consequatur, vasa quoque non illarum modo, sed et ceterarum, quae a dextris sint, ob communicationes consensusque laborare magis et dilatari solere. » Addit hisce Zulianus (1), magis adiuvari adfluxum sanguinis ad cerebri dextram partem carotidis subclaviaeque dextrae ordinaria positione, quippe quae ea sit, ut non modo ortum communem ex arcu aortae ducant, sed etiam eadem ferme directione, qua in aortam ipsam, ad eas cor sanguinem impellat. Quae quidem, utut maior quoque carotidis dextrae amplitudo, si ab anatomicis ulterius

---

(1) De apoplexia, praes. nervea, comm. 1790. §. 61. p. 36.

confirmabitur (1), certe parvi facienda non sunt: quin vero sufficiant ad explicandum illud phaenomenon, quam maxime dubito. Posses quidem ex istis abscessuum etiam maiorem a dextris frequentiam derivare: unde tamen colluvies serosa sinistrae parti magis obnoxia?

II. Hemiplegia.

§. 12. Ea paralysis, quae exhibitae morbi dimidiati notioni respondet, ab antiquissimis inde temporibus peculiare nomen, hemiplegiae scilicet, tulit, eaque ex omnibus corporis humani dimidiatis affectibus, si hemicraniam non minus frequentem forsan excipis, is est, qui quam frequentissime ubivis loci medentibus obviam fertur. — Est interdum perfecta, qua et movendi et sentiendi facultas omnis periit, plerumque vero imperfecta, et talis quidem saepissime, ut solus motus penitus sublatus,

---

(1) Carotidem communem dextram vicesima quinta parte ampliorem esse solere sinistra Soemmerringius docet. (*Vom. Baue d. menschl. Körpers.* T. IV. §. 106.) Ampliorem etiam facit Mayerus. (*Anat. Beschreib. d. Blutgef.* 1788. p. 48.) — Hallerus (Elem. physiol. T. II. Lib. VI. Sect. I. §. 4. pag. 163.) et J. F. Meckelius (*Handb. d. menschl. Anat.* Bd. III. p. 78.) contra carotidem sinistram sua sodali dextra non evidenter minorem esse dicunt, et Senacus (Traité de coeur. T. I. p. 246.) imo eam paululum maiorem reperit.

sensus non omnis extinctus, sed imminutus tantum observetur. Frequenter etiam artubus omni motu privatis integra sentiendi facultas adest, rarissime vero contra hemiplegia occurrit, qua sensus magis quam motus, uterque tamen laesus fuerit. Quandoque autem, licet etiam raro, superstite omnium musculorum expedito motu iustaque agilitate, sensus *per exacte dimidium corpus* perfecte deletus est. Quae quidem dimidii hominis anaesthesia modo apoplectico quodam insultu praegresso ingruit nec postea iterum recessit (1), modo inter variabilis hystericae passionis symptomata obvenit (2), nonnunquam a perfecta hemiplegia post motus restitutionem relicta est (3); eaque aliquando tam plena erat, ut digitorum ad ossa usque combustio nullo modo sensa sit (4), quo, non solis cutis nerveis papillis eam insedisse, sed ipsorum nervorum, qua

---

(1) Junckeri diss. de stupore dextri lateris absque motus laesione, unde Bethkius historiam transtulit in librum suum: *Üb. Schlagfl. u. Lähmungen.* 1797. p. 397.

(2) Bolten *Krankengesch d. Jungfer Mar. Brandon.* Hamb. 1779. p. 14. 15., unde descripta verba leguntur in Ill. F. B. Osiandri opere novissimo: *Üb. d. Entwickelungskrankh. i. d. Blüthenj. d. weibl. Geschl.* 1817. *B.* I. p. 184. — Cf. §. 28.

(3) Bredotus in Act. helvet. T. VI. p. 191. Burserii instit. med. pract. T. III.

(4) Mém. de l'Acad. d. sc. 1743. Hist. p. 127. et 130. van Swieten comm. in Boerh. aphor. T. III. ad aph. 1057. p. 350.

percepta ad sensorium transferuntur, facultatem deletam fuisse docemur. — Quin imo aliquoties ab uno latere motum, ab altero sensum interiisse lego. Heistervus (1) egregie nobis virum pingit, cuius brachium dextrum omnino, pes dexter ad partem movendi facultate orbati, accuratissime tamen senserunt, sinistri artus contra, facultate movendi illaesa, sensu omni destituti erant, ita ut cutis igne aquave fervente combusta ne calorem quidem senserit, spinaque circa unguis radicem pollici intrusa nullum dolorem intulerit. Parem casum se vidisse Vieusseuxius (2) meminit, neque absimilia exempla Wepferus (3) et Senacus (4) nobis servarunt.

§. 13. Affinem hisce subiungere placet Vieusseuxii, medici Genevensis, affectum ab ipso descriptum (5), qui et sede et aegrotandi modo maximam nostram admirationem movet. Syncipitis enim totiusque faciei laevam ac corporis praeter caput totius dextram dimidiam

---

(1) Eph. nat. cur. Cent. I. et II. obs. 196. p. 430.

(2) Lond. Med. chirurg. transact. Vol. II. 1813. p. 232.

(3) Ei. obss. ex cadav., eorum, quos sustulit apoplexia. Scaph. 1675. p. 335. hist. 4.

(4) Swietenius l. c., ex quo illam historiam hausi, allegat Senac de la struct. de coeur T. II. p. 291. ubi vero in ea, qua uti licuit, recentiore editione eam non reperi.

(5) L. c. p. 217-235.

partem, dum reliquum sinistrum corpus acute sentiret dextrumque caput primo tantum insultu paullum affectum fuerit, impune pungere unguibusque scalpere licuit; quae morbi memorabilis decussatio brachii alterius et cruris oppositi lateris paralysin quandoque observatam esse revocat. Sed de ea infra iterum agam. Dextrum latus, cui, mirum dictu, tactus integer aderat, ita ut manus pulsum iuste explorare valeret, adeo ab omni dolore immune erat, ut nec vesicatoria, nec paronychia vel febrem accendens, nec laesio qualiscunque, nec lumbago ullum praeter tensionem aliquam calorisque et pruritus sensum vix definiendum excitarent, eiusque sentiendi facultas raro modo ita immutata erat, ut aqua laeviaque omnia corpora, si frigida essent, caloris, si calida essent, frigoris, mollia autem et aspera nullum suae temperiei sensum afferrent. Sinistrum corporis latus torpore tantum, quem §. 26 recensebo, aegrotavit ita ut imbecillitatis sensus ipsi adesse videretur, musculique iusto vigore carerent, in primo insultu autem ab apoplectico non longe distante apertiori musculorum paralysi, in facie laeva praesertim conspicua, affectum erat. Ceterum linea per medium corpus ducta dextri corporis sinistraeque faciei insensilitatem subito abscidit exactissimeque definiit.

§. 14. Iam vero hemiplegias paucis perstringere oportet earum partium, quae medio corpore sitae e duabus dimidiis sibi invicem appositis confluxerunt vereque duplices esse linea modo intermedia indicantur. Annumeranda iis quoque est facies, cuius alterutrius lateris resolutio crebro admodum observatur, nunc sola, nunc artuum eiusdem lateris paralysi adiuncta. Sed non semper tam completa omnium dimidiae faciei musculorum resolutio est, qualem Wepferus (1) et Swietenius (2) nobis pinxerunt. Viderunt ii enim, quod, dum frontem attollere aeger conaretur, exacte dimidia rugosa evaderet, et altera exacte etiam dimidia pars glabra et laevis permaneret, quod nec alter orbicularis palpebrarum oculum claudere, nec buccinator impedire posset, ne cibi intra genam paralyticam et dentes deciderent, quod os versus sanum latus incurvaretur, quod imo orbicularis oris dimidia ex parte resolutus esset: nequiit enim Wepferi aegrota in dextro latere labia adducere iisque apprehendere aut tenere aliquid, potuit tamen bene in sinistro, et Swietenius inter manducandum foedo spectaculo cibos ex ore dilabi vidit. Tum

---

(1) L. c. obs. 156. p. 757.
(2) L. c. ad aphor. 1018. p. 286.

etiam apex nasi versus latus sanum distrahitur, et maxilla inferior, dum os aperitur, a musculis pterygoideis oppositi lateris versus affectum latus distorquetur, adeoque in hoc motu caret, ut in altero solum cibi masticandi sint. (1) Initium huius hemiplegiae facies est in altero latere quasi pendens, musculis voluntati quidem adhucdum obedientibus, sed iusto vigore destitutis, qualis frequenter in arthritica hemicrania laborantibus observatur.

§. 15. Linguae hemiplegia nunquam fere non, sub initio insultus saltem, tum artuum unius lateris, tum faciei dimidiae resolutionem concomitatur, crebro aliquo tempore antecedit: eaque inter omnes singularum partium hemiplegias frequentissima observatur. Plerumque solum motum vel eum praesertim laedit, ita ut exserta lingua versus latus sanum trahatur et aegroti balbutient. Verum etiam gustatus in dimidia ea interdum pessumdatur, quod ARDIEUS (2) eo probatum vidit, quod hemiplegiae initio prehensus quidam sinistra linguae parte salis pauxilli saporem accurate dignosceret, olei asphalti autem guttam dextrae impositam ne sentiret fere. — Praeter linguam reliqui etiam

(1) HOFFMANNI med. rat. syst. T. IV. P. IV. cap. 1. obs. 7. p. 38.
(2) Diss. cit. p. 213.

deglutitioni inservientes musculi nonnunquam hemiplegiam patiuntur. Uvulae apex visus est ad alterum latus declinare (1). A musculorum, qui lavyngem elevant, eorumque pharyngis resolutione ad dimidiam partem originem ducere molestiae videntur, quibus intra deglutitionem hemiplectici saepissime laborant (2). Fluida, HOFFMANNO teste (3), saepe, nisi vasculum versus sanum latus paulisper flectatur, facile in asperam arteriam penetrant, nec non assumpta solida, antequam deglutiantur, idem versus latus saepius flecti debent (4). Aperte demum HARLESIUS (5) de hemiplegia pharyngis loquitur, quam ex eo cognoscendam fuisse scribit, quod de pariete aegrotus quaestus sit, qui pharyngem et superiorem oesophagum in duas partes disiungere quasi videretur, et sic quidem, ut nonnisi altera cibis potuique aperta esse, eosque sentire, altera prorsus contracta atque insensibilis esse videretur.

§. 16. Musculorum et laryngis et thoracis et abdominis hemiplegiae inter tot perlectas ex

---

(1) WEPFER l. c. obs. 148. p. 695.
(2) VAN SWIETEN l. c. T. II. ad aphor. 818. p. 701.
(3) Ei. consult. et resp. med. P. I. cas. 20. p. 91.
(4) Ei. med. rat. syst. T. IV. P. IV. Cap. 1. obs. 6. epicr.
(5) *Ub. d. Krankh. d.* Pancreas. *Abhandl. d. phys. med. Soc. zu Erlangen. B.* II. 1812. p. 183.

altero latere resolutorum historias mihi nullum exemplum occurrit; nullibi reperi, quod vox ab hemiplegia rauca evaserit, nullibi, quod inter respirationem ab altero modo latere pectus et abdomen mota fuerint. Verum tamen in fortissima hemiplegia nec thoracis musculos a paralysi exemptos esse, experimentum docet ab Astl. Coopero et Yelloly (1) in cane institutum: viderunt enim clari viri, postquam medullae oblongatae exacte dimidiam dextram partem disciderant, quod costarum alterna elevatio et depressio in solo latere fieret, in resoluto paene nulla esset, nec ullum intercostalium huius lateris musculorum actionem deprehendere potuerunt. Rationem, cur musculi trunci a cerebri atque medullae laesione minus patiantur, supra indicavi; similemque causam, intimum nempe nervi sympathici cum vago nexum, subesse arbitror, unde larynx etiam minus plerumque hemiplegiae particeps sit.

§. 17. Ipsius detrusoris urinae interdum alterum modo dimidium resolvi, vel magis altero saltem debilitari, ex Wepferi (2) aliqua

---

(1) Yelloly in Lond. med. chirurg. transact. Vol. I. n. 16.
(2) L. c. obs. 146. p. 686.

observatione iuste collegisse mihi videor. Consuluit enim celebrem illum medicum vir quadragenarius, qui creberrime ad mictionem incitatus, urinam retinere fere non valebat, vi retentam autem expellere postea fere nequibat, unde abdomen inflabatur, maxime in sinistro latere interdum caput turbatum et anxietas in sinistro pectore excitata est, semper aeger sinistro in latere peius habebat ac in dextro; adiunctae praeterea erant artuum sinistrorum paralytica quaedam debilitas, ut pedem, in quo subinde formicationis sensus molestus erat, traheret, manum attollere nequiret, nec non deglutitio quandoque difficilis, ita, ut manu collo admota ciborum descensum promovere cogeretur. Pechlinus denique etiam de colis hemiplegia loquitur. « Novi, inquit, cui hemi- » plegia correpta omnia membra, caput, oculi, » lingua, iam etiam infra coles, dimidio sui, » eoque exacto et ad libellam sumto, obri- » guerint. » Quid autem proprie eo sibi voluerit non satis intelligo.

§. 18. Sed missis hisce particularibus hemiplegiis nonnulla adiiciam de hemiplegia latius supra latus suum extensa. Etiamsi musculos respirationi inservientes excipias, reliquos omnes in altero latere motu privatos esse raro invenies. Plerumque nonnisi alterum crus atque brachium, vel simul cum iis et lingua dimidia,

vel praeterea labiorum quoque alterius lateris musculi resoluti sunt. Rarius etiam sensuum in altero latere cum omnium, tum singuli alicuius interceptio hemiplegiae se adiungit. Visus tamen caeteris sensibus frequentius laesus fuisse refertur, forsan ob id solum, quod eius in altero oculo depravatio facilius, cum ab ipso aegro, tum ab assistentibus animadvertitur, quam auditus, olfactus, gustatus in altero latere paralysis. Omni fere respectu perfectissimae hemiplegiae exemplum apud Hoffmannum (1) legitur: ibi enim non modo artus dextri sensu motuque carebant, sed oculus dexter etiam videndi, auris dextra audiendi, naris dextra olfaciendi potentia destituta erat, balbutiebat insuper lingua, nec bene masticare et deglutire aeger poterat et pulsus in affecto latere tam debilis erat, ut digitis vix percipi posset.

§. 19. Reliquum est exponere, quod latus hemiplegiae prae altero magis obnoxium sit. Hippocrates (2), vel Hippocraticus saltem, dextrum latus saepius resolvi affirmat, rationemque ex eo petit, quod ampliores et pleniores sint

(1) Med. rat. syst. T. IV. P. IV. cap. 1. obs. 6.

(2) De morbo sacro.

in eo latere venae; verum, Corayo (1) licet aliter explicante, nonnisi de hemiplegia epilepticis superveniente loquitur. Inter seriores primam hac de re observationem Treublerum (2) retulisse invenio, qui paralysin, quae fiat ex apoplexia, crebrius latus tangere dextrum putat, quam sinistrum. Idem Auricillius (3) asserit pariterque Monteggia (4) plures dextro latere, quam sinistro resolutos se vidisse tradit. Quibus vero Haenius (5) contradicit paralysin laevam potius quam dextram corporis partem occupare se iam dudum observasse affirmans, idemque alio loco (6) de ea speciatim hemiplegia repetens, quae ab apoplectico insultu relinquatur; a cujus partibus Gardanus (7) quoque et hoc gravior testis, Cl. Fr. Osiander (8), stant, quorum quidem posterior rationem hemiplegiarum sinistri lateris ad eas dextri uti 5 : 1 accipere propensus est. Haenium Corayus (9)

---

(1) Hippocrates tr. des airs, des eaux et des lieux, trad. par Coray. T. II. p. 167.

(2) Th. Bartholini epist. med. Cent. II. ep. 91. p. 703.

(3) Ei. et Engströmii diss. de paralysi. Upsal, 1765. §. 5. Baldinger.

(4) Ei. fasciculi patholog. Mediol. 1789. p. 23.

(5) Ei. rat. med. P. I. p. 110.

(6) L. c. P. III. p. 244.

(7) Ei. coniectures sur l'électricité médic. 1768. p. 119.

(8) *Abhandl. der phys. med. Soc. zu Erlang.* B. I. 1810. p. 534.

(9) L. c.

multorum hemiplegiae casuum comparatione refutare studet, et ex ea, non modo hemiplegiam apoplexiae comitem, sed aliam etiam quamcumque, dummodo capitis laesio abfuerit, dextrum latus crebrius invadere, idemque etiam latus capitis laesionibus non abactis saepius in universum resolutum inveniri, colligit. Inter 51 enim hemiplegiae post apoplexiam relictae casus in 29 dextrum, in 22 modo sinistrum latus aegrotavit atque 99 hemiplegiarum, quibus apoplexia non praegressa erat, 54 dextrum, 45 modo sinistrum latus laeserant: quibus 107 casus accedunt, de quibus, numne caput vulneratum fuerit, haud notatum est, quorum in 65 dextri, in 42 sinistri artus resoluti erant.

§. 20. Bene Corayus hemiplegiam ab apoplexia relictam ab aliusmodi paralysibus accurate separavit; oportet tamen, si in hac medicorum dissensione certa statuere volumus, ulterius etiam varias hemiplegiarum species distinguere. Quod primum ad apoplecticorum hemiplegias attinet, Zulianus (1), eam, quae apoplexiam nerveam insequatur, dextrum latus potius tangere, multis et sui ipsius et aliorum observationibus collatis effecit, de reliquis

(1) Ei. de apoplexia, praes. nervea, comm. 1789. §. 62. p. 36 38. §. 59. p. 35.

autem HAENII enuntiatum confirmari sibi asseruit revocanti plurimos, quos adierit, apoplecticos. Idem experientiam se edocuisse Ill. HIMLY, pia mente colendus praeceptor, in praelectionibus nobis tradidit, idemque et alii probatum habuerunt. Quibus addas, MORGAGNIUM (1) iam reperisse, hemiplegiam ex apoplexia vere sanguinea sinistrum latus prae dextro saepius afficere. Ratio, qua dextrum latus apoplecticis frequentius prae sinistro resolvi CORAYUS invenit, minor est atque e casuum nimis exiguo numero hausta penesque supra nominatos viros minor est auctoritas, quam ut HAENII accurate observantis medici nomen prae se ferentis, et horumce observatio inde infirmari possit: ideoque, usquedum sequentia tempora alia docuerint, ZULIANI enuntiatum de hemiplegia apoplecticorum verum habeamus.

§. 21. In apoplexia nervea autem systematis sanguiferi actio in capite plerumque non mutata esse videtur, unde cerebrum tantam sanitatis speciem prae se ferre solet, ut sanius fere apparere non possit. In hemiplegia ab ea oriunda vere nervea dimidii systematis nervosi efficientiam per se ipsam videmus minorem maioremve ad partem sublatam, ita scilicet ut

---

(1) L. c. Ep. III. n. 18.

nullum momentum externum, nulla vasorum actionis in altera cerebri parte a bona valetudine aberratio normalem eiusdem partis actionem infirmaverit et inhibuerit, sed ipsa vis nervea mire fluctuans sponte quasi discessisse ex altero dimidio videatur. Hinc plerumque haec hemiplegia minus perfecta ac facilius discutienda est, hinc etiam rarius, quam alius generis apoplexia, spasmodica paralysin post se relinquit. Clarissime vero, si quid aliud, haec hemiplegia probat, Boerhaavium recte iudicasse, etiam in operatione sua duplex esse principium sentiens et movens. Ansam illa praebebunt, frequentiorem eius hemiplegiae in dextro latere ortum satius forsan explicandi, quam ex ea Zuliani (1) coniectura explicatus est, quod ex usu frequentiori brachii et forte totius lateris dextri nervorum status ita in eo immutetur, ut sensibiliores mobilioresque ii evadant, vel ex ea, quod hepar, ex cuius suppuratione debilitas et insensibilitas in dextro latere exorta esse interdum visa est, ut plurimum iam male affectum in apoplecticis hypochondriacis ad spasmum in sui viciniis excitandum aptius sit. Alias nec magis sufficientes

---

(1) L. c. §. 64. 65. p. 39. 40.

coniecturas in ipso ZULIANI opere conferas. Meam autem sententiam infra demum amplius exponere potero.

§. 22. Si non nervea alia quaecunque apoplexia in hemiplegiam transit, sanguinis maior in alterum cerebri dimidium congestio, vel alterius partis status quidam inflammatorius, aut sanguis circa alteram partem extra vasa profusus nunquam fere causa eius transitus non esse videntur. Quorum quum facilior a dextris sit exortus causaque hemiplegiae tantum non semper in opposito capitis latere haereat, hoc etiam confirmatum videmus, frequentius ab hisce hemiplegiis sinistrum corpus resolvi. Ceterum eadem plane causa subesse videtur, cur arthritica speciatim hemiplegia sinistrum plerumque afficiat latus (1). Nec non intelligitur ex eo, quod dextra capitis pars prae sinistra facilius sanguine nimis repleatur, cur HAENIUS (2) semel linguae, bis totius corporis sinistri lateris, nec unquam dextri, hemiplegiam vomicis pulmonum supervenire, quum vomicis ruptis pus copiosum exivisset, paulatim cessare, sputis suppressis imminutisve redire viderit.

---

(1) SAUVAGES nosologia method. class. VI. morb. 18. n. 5.
(2) L. c. P. III. p. 102. sqq.

§. 23. Utri lateri illa tandem hemiplegia, quae apoplexia non praegressa homines aggreditur, infestior sit, magis adhuc in impedito est; quum vero Corayi sententiae solus Haenius sit contrarius, idemque hancce paralysin ab hemiplegia apoplecticorum nulli modo accurate disiunxerit, dextrum latus, ut ille vult, frequentius ea implicari, maiorem hucusque probabilitatis speciem prae se fert. Cuius rei, si experientia magis firmabitur, rationem in maiori dextrarum partium usu sitam esse coniiciendum forsan videbitur: Hippocraticum enim est enuntiatum ei coniecturae maxime favens, serioribus etiam, ni fallor, acceptum, equites pedum, opifices brachiorum saepius paralysi affici. Forsan vero ad medullam potius recurrendum eiusque dextram partem (ad cerebri analogiam) prae sinistra congestioni et inflammationi magis obnoxiam esse, coniiciendum erit, quod quidem praeterquam quod cerebri analogia defenditur, eo etiam veri magis simile esse probatur, quod sinistri lateris nervosas partes facilius prae iis dextri turbari alia demonstrant, quin ab eadem causa gravius eas affligi probabile reddunt. — Ubi autem haec hemiplegia non e medulla originem ducit, haud raro causa utitur organicis cerebri vitiis, abscessibus e. gr. et variis tumoribus et tunc eam non dextrum, sed sinistrum latus frequentius

affecturam esse ex superioribus patet; seri in altera capitis parte effusionem sequens paralysis dextrum contra saepius affectura esset latus, sed certe rarissima occurrit, ita ut vel ingens illa aquae copia, qua Gredingius sinistrum cerebri ventriculum extensum reperit, nullam intulerit.

§. 24. Investigandum esset, num fortasse motui saepe superstes sentiendi facultas in uno latere prae altero frequentius pessumdetur: num fortasse in uno latere prae altero nervorum resolutio energiam vegetationis magis debilitet. Quum ex apoplexia nervea hemiplectici prae aliis saepissime sensu polleant integro, in dextro latere frequentius quam in sinistro solus motus laedi videtur.

§. 25. Hoffmannus (1) hemiplegiam sinistri lateris periculosiorem esse ea dextri lateris affirmat, causamque credit arteriam aortam esse eiusque ramos sinistro in latere copiosius dispersos. Item et Gardanus (2) et Aurivillius (3) sinistrum latus serius ut plurimum a paralysi convalescere dicunt. Quod, num recentiorum aliquis confirmaverit, ignoro; quod ad obser-

---

(1) Ei. med. rat. syst. T. IV. P. IV. Cap. 1. §. 25.
(2) L. c. p. 120.
(3) L. c.

vandum autem ansam forsan praebuit, quod sinistrum latus saepius e vitio cerebri organico hemiplegia tangitur, in dextro contra apoplexia nervea frequentius paralysin gignat facilius plerumque abigendam.

III. Torpor et stupor unius lateris.

§. 26. Proxime a paralysi collocandae sunt debilitas, ut ita dicam, paralytica, vel torpor et stupor dimidii hominis, quippe quibus cum movendi, tum sentiendi facultatis, tum utriusque in altero corporis latere aliqua imminutio atque imbecillitas comprehenditur. Socia in eo latere sibi adiuncta saepe habent modo varia sensus organici vitia infra ulterius indicanda, illud prae ceteris quam saepissime ut quasi obdormivisse membra videantur, modo convulsivos motus hinc inde membra quassantes, modo iusto minorem calorem, modo copiosiora sudoris profluvia; modo autem etiam horum nihil comes adest. Nonnunquam torpores huiuscemodi ex cerebri alterius hemisphaerii organico vitio oriuntur (1), nonnunquam aliis gravioribus eiusdem lateris affectibus se

---

(1) Ex fungoso ac veluti scrophulòso dextri hemisphaerii tumore dextri lateris magna debilitas. Baumes Journ. de méd. 1791.

adiungunt, hepatis v. g. et renum morbis (1), atrocibus hemicraniis (2) etc. Interdum apoplexiam futuram indicere, saepius hemiplegiam, quae absque apoplectico insultu ingruit, antecedere, crebro a hemiplegia declinante relinqui, penes omnes constat, nec est, quod de eo amplius disseram. Verum absque hisce etiam non nunquam invadunt. Aliis enim a multis retro annis alterum latus altero debilius existit (3), nec fere aliter fuisse norunt, alios hysterici morbi soboles torpor talis atque stupor nunc invadunt, mox cum aliis symptomatibus alternantes iterum derelinquunt (4), aliis alia de causa ad breve tempus (5) vel per intervalla recurrentes superveniunt. Viri cuiusdam dextrum latus praegresso formicationis sensu subito prehenserunt ita totum, ut et lingua dimidia aeger vini saporem dignoscere nequiret (6). Praeterea memoriae dignum est, quod sinistri quidem praecipue, tamen,

---

(1) Cf. sect. II.

(2) Wepfer affect. cap. obs. 58. p. 158. — Conf. memorabilem Hildani observationem §. 55. inferendam.

(3) Wepfer l. c. obs. 107. p. 473.

(4) Id. ibid. obs. 32. p. 61.

(5) Post balneum frigidum totum sinistrum corporis latus ad paucos dies et movendi et sentiendi facultate ex parte orbatum. Pinel nosographie philos. 3iéme ed. T. III. p. 186.

(6) Wepfer l. c. obs. 136. p. 643.

modo dextri, modo sinistri totius lateris torpor inter tum paralyticos, tum convulsivos insultus, quibus senem leviter quidem, sed frequenter prehensum MORAGAGNUS (1) vidit, prae ceteris eminuerit.

IV. Catalepsis unius lateris.

§. 27. Postremo loco inter eclyses catalepsis dimidiatae mentio fiat. Num, quae verae et legitimae catalepsi propria atque peculiaris est, cerea artuum flexibilitas ab uno solum corporis latere unquam observata sit, id quam maxime in dubio positum est. Exstat quidem, quae talem dimidii hominis catochen sistere nobis videtur, observatio OFFRAYI DE LA METTRIE (2), eaque et a SWIETENIO (3) sub vera catalepsi recensita et a TISSOTO (4) tamquam verae, licet non simplicis, catalepsis exemplum

(1) De sed. et caus. morb. ep. 10. n. 11.
(2) Ei. traité du vertige. Paris 1738. p. 118-124.
(3) Ei. comment. in BOERH. aph. T. III. p. 312. Allegat quidem SWIETENIUS illius auctoris: Abrégé de théorie chymique etc. 1741. p. 278. qui liber ad manus mihi non erat, sed eandem observationem in utroque tractatu recenseri vel levicula symptomatum comparatio docet.
(4) Ei. *Nervenkrankh. übers. v.* ACKERMANN. *Th.* III. p. 312. Eandem historiam etiam SAUVAGESIUS sub catalepsi hysterica enarrat in Nosol. method. cl. VI. Gen. 24. sp. 1.

repetita est. Attamen dum paulo accuratius ipsam eam historiam perlustramus, ecce phaenomena nobis obveniunt cum cerea artuum flexibilitate non apprime congruentia. Virgo enim post varias hystericas affectiones in veram plenamque catalepsin incidisse refertur, adeo ut digiti, digitorum artus, manus, antibrachium omnia eo positu tenuerint, quo quisque collocaverit: subinde tamen additur, odorem simul fuisse acutissimum, adeoque aegram odores respuisse, ut, si naribus odoriferum aliquid admoveretur, summa cum vehementia extemplo ad alterum latus corpus declinaverit, manuque nares occluserit qua amota alteram statim celerrime naribus appulerit: quin quum spiritus ammoniaci solum nomen enuntiarent, sub stragulis se abdidit, et quum penna spiritu illo madida nares irritare vellent, clamorem sustulit, in diras convulsiones incidit, adeoque ira et furore exagitata fuit, ut vix a tribus viris coerceri posset. Quae quomodo verae catalepsis et cereae flexilitatis notioni accommodari possint, non intelligo. Post duorum mensium, quos rure peregerat, intermissionem cum reditu in urbem catalepsis iterum ingruit, non tamen, ut antea praegrediente hysterica affectione, et nunc dimidium solum corpus catalepticum evasisse traditur: sed ipsa autoris verba apponam: « Elle commençoit toujours par tomber

» en foiblesse et quelquefois en syncope. Lorsque dans cet état on s'avisoit de la picquer » pour la faire revenir, ou de lui faire sentir » quelque odeur puante, elle devenoit catale- » ptique, mais pour l'ordinaire de la moitié » du corps seulement. On l'a vûe aussi tomber d'elle même dans cette demie catalepsie, » qui étoit plus ou moins parfaite. » Praeterea de affectus natura nil adiicitur, nisi quod postea paroxismi in apoplexiam (?) transierint, cuius primus insultus per tres totos dies protractus sit. Tota haec historia, autorem, cui ob alia etiam perparum a medicis tribuitur, nullatenus accurate observasse ostendit luculenter, nec in excerpenda ea tam fusus fuerim, ni possit fore, ut Swietenii, qui paucis eam attingit, auctoritate ad accipiendam dimidii corporis cercam flexibilitatem aliquis seducatur.

§. 28. Post Mettrium etiam Weberus (1) catalepsin dimidii corporis se observasse opinatur. Verum dextri lateris anaesthesia cum musculorum spastico rigore et sensuum mentisque intercepta actione ipsi imposuit: incurvata enim membra erant, quorum sensus interierat, et paululum immobilia, ac tertio die,

(1) Ei. Observ. med. Fasc. I. 1764. p. 22. sqq. Unde descripta haec observatio legitur in Du Pui diss. cit. p. 125. —

quo virgo vita functa est, apertius spasmi se ostenderunt, tremoresque ac agitationes convulsivae trium quatuorve minutarum a pede semper incipientes quater vel quinquies omni hora illud latus pertentarunt.

§. 29. Praeter hasce duas observationes alia quam huc referre possem non innotuit mihi. Sequentibus igitur temporibus relinquendum videtur efficere, num vera artuum cerea flexibilitas aliquando ab altero solum corporis latere contingat: et si non contingit, memorabilis certo in ea posita est a caeteris omnibus nervorum affectibus differentia, cuius causa ex ipsa morbi intima indole repetenda erit.

V. *Tremor unius lateris.*

§. 30. Absolutis iamiam variis eclysibus ad morbos spasticos, qui alterum corporis latus prae altero invasisse visi sunt, me converto, et primum quidem ad tremorem. — Tremoris, qui totum corporis alterum dimidium concusserit, omnino nullum mihi se obtulit in medicorum actis exemplum, artus vero in solo dextro vel sinistro latere intremuisse saepius observati sunt. Ne tamen reticeam a Ballonio (1)

(1) Paradigm. Nro. 75. — Opp. T. III. p. 424.

puellae mentionem fieri, cui, ut ipsius verbis utar « in facie et thorace, non autem in par-
» tibus inferioribus, si in sinistrum incumbe-
» ret, motus sit, quieverit in dextrum devo-
» luta. »

§. 31. Artuum illi tremores modo antecedunt hemiplegias (1) uniusve lateris convulsiones (2), quae apoplexia non praegressa paulatim invadunt (3), modo in resolutis artubus laeti et exoptati rediturae movendi facultatis praenuntii apparent (4), modo, nec insequentibus, nec praegressis ullis huiuscemodi affectibus membra concutiunt. Nonnunquam ab encephali alterius partis vitio (5), et abscessu quidem praesertim, excitati sunt. Alia vero vice non nervorum centri alterius dimidii localis affectio unius modo lateris tremebundum motum

(1) Schwenke *in Abhandl. f. pr. Ärzte.* B. II. p. 87.

(2) Morgagni l. c. Ep. 30. n. 4. etc.

(3) van Swieten comm. in Boerh. aph. Wepfer l. c. obs. 158. p. 762.

(4) A pressione sanguinis extravasati in cerebri superficiem: Andersson l. c. p. 710.

(5) Tremoris unius lateris a cerebri abscessu inducti exempla invenies in Burserii institut. med. pract. Vol. II. §. 18. p. 15. Bangii diario 1784. Aug. 13. et ab Andersonio exaratum in Transact. of. the r. soc. of. Edinb. T. II. 1790. *Abhandl. f. pr. Ärzte.* B. XIII. p. 710; de tremore a sanguine intra cranium et duram matrem extravasato v. Andersonium l. c.

intulit, sed in universum alia in alio corporis dimidio nervorum incitatio fuisse videtur, ita ut ab animi affectibus musculorum in uno tantum corporis latere adeo aucta sit convulsibilitas, ut continuo alternantibus oscillationibus membra exagitarent. Cuiuscemodi tremoris egregium exemplum apud Wepferum (1) legitur, quo superveniens postea nervea apoplexia in eiusdem lateris hemiplegiam transiit membra post abitum suum debiliora et ad sudorem magis proclivia relinquentem. — Ab eodem (1) viri mentio fit, quem dextri brachii pedisque tremor eiusmodi cum symptomatibus subito prehendit, ut apoplexiae hemiplegiaeque nerveae totus affectus haud inepte comparandus sit. — Praeterea tanquam hysteriae symptoma quoque hi tremores nonnunquam obveniunt (2).

§. 32. Quod corporis latus prae altero potius teneant, ex observationibus, quas contuli, nimis paucis totidemque fere dextrum quot sinistrum, prospicientibus conficere non licuit. Suppuratione tamen dextram cerebri partem laeva multo frequentius decostante, inde oriundum tremorem saepius sinistras partes afficere, clarum est.

---

(1) L. c. obs. 160. p. 771.

(2) Ei. obs. anat. ex cadav. eorum, quos apopl. sustulit. p. 291.

VI. Convulsiones unius lateris.

§. 33. Tremoribus multo frequentius unius lateris plenae convulsiones obveniunt, earumque varii modi paucis nunc considerentur. — Primum locum eae teneant convulsiones, quae hemiplexia sideratis haud infrequenter, sub initio insultus praesertim et mox ante transitum in mortem, superveniunt. Succutitur vero totum interdum dimidiatorum istorum hominum corpus, sed multis numeris rarius quam alterum modo dimidium, totumque si convellitur, saepe, ne dicam utplurimum, spasmi ex altero latere, et non resoluto quidem fere semper, vehementiores contingunt. Pari modo convulsio, quae unum tantum latus tenet, raro, frequentius licet in hemiplegia nerveam apoplexiam excipiente, id ipsum, quid voluntatis imperio exemtum est, saepissime oppositum invadit. Una resolutum crebrisque motibus clonicis agitatum viderunt sinistrum latus, post vulnus capiti inflictum, ANDERSONUS (1) et FABRICIUS HILDANUS (2), post insultum apoplecticum, WEPFERUS (3) et HOFFMANNUS (4).

---

(1) L. c. p. 715.
(2) Observ. chir. Cent. II. obs. 25.
(3) Histor. apoplect. hist. 14. p. 394.
(4) Ei. med. rat. syst. T. IV. P. II. Sect. 1. cap. 7. obs. 1. p. 179.

Plurimorum qui alterius lateris paralysin, alterius convulsionem, capitis varias laesiones insecutam observarunt, aliquos tantum infra citasse sufficiet. Idem utriusque lateris affectus nonnunquam (1) sed minus frequenter, etiam sponte invadente apoplexia infertur, cuius rei exempla praeter alios MORGAGNUS (2), PROCHASCA (3), BANGIUS (4) offerunt. Convelluntur autem modo aliqui tantum eius lateris musculi, veluti deltoïdes, cucullaris et faciales apud PROCHASCAM, modo solum brachium circumiactatur, modo totum latus, nunc levioribus convulsivis motibus, nunc immani et terribili epilepsia, succutitur (5). — Interdum praeterea hemiplegiam eo in latere, quod mox resolvetur, varii spasmi antecedunt (6), interdum ab illa liberati artus debiliores remanent et per longum tempus convulsivos hinc inde patiuntur motus (7). — Nonnunquam etiam, aeque ac tremor, convulsio unius lateris absque ulla ullibi

---

(1) FABRICIUS HILDANUS l. c. Cent. 1. obs. 13. 19. BONETI sepulchr. anat. Lib. I. S. XV. obs. 27. — Lib. IV. S. III. obs. 7. S. 2: MORGAGNI l. c. Ep 51. n. 27.

(2) l. c. Ep. 2. n. 9. et 17. Ep. 11. n. 6.

(3) Ei. ad not. acad. Pars III. Sect. 2. cap. 2.

(4) Ei. diar. 1786. Iul. 6.

(5) WEPFER affect. cap. obs. 9. p. 13. MORGAGNI l. c. Ep. 2. n. 27.

(6) CHEYNE cases of apoplexy and lithargy p. 13. WEPFER l. c. obs. 162.

(7) WEPFER l. c. obs. 138.

paralysi cerebri modo abscessui (1), modo laesionibus externis (2), iisque tum demum imprimis, quum in suppurationem sauciata pars transierit (3) supervenit, ita HIPPOCRATES (4) tantum non semper vere dixerit. « Si sinistra » capitis parte ulcus fuerit, dextram corporis » partem convulsio prehendit: si vero dextra » capitis parte ulcus fuerit, sinistra corporis » pars convulsione corripitur. »

§. 34. Ad encephali abscessum accedentem unius lateris convulsionem, uti tremorem hac ex causa ortum, a sinistris saepius contingere, praesumendum est, frequenter vero ea non obvenit. — Eorum deinde casuum, ubi altero latere hemiplegia resoluta, alterum convulsionibus moveretur, sive post capitis laesiones, sive post apoplexiam, pariterque eorum, ubi post capitis laesiones alterum solum latus convelleretur, altero vel minime vel leviter affecto, permulto pluribus dextrum convulsum est quam sinistrum. Nec non tria illa, quae novi, lateris eiusdem, in quo cerebri vitium haereret,

(1) CHIRAC ap. POUPART in mém. de l'acad. r. des sc. 1700. p. 44. obs. 19.

(2) FABRICIUS HILD. l. c. Cent. II. obs. 25.

(3) POUPART l. c. MORGAGNI l. c. Ep. 51. n. 45. Quibus forsan adiiciendus TH. BARTHOLINUS hist. anat. rar. Cent. V. hist. 2.

(4) Lib. de capitis vulneribus.

paralysis, convulsionis opposita, exempla omnia dextrum latus convulsum fuisse tradunt. Quae num fortasse ab eo pendent, quod nervi in sinistro corporis latere distributi, quos dextri lateris nervis mobiliores esse faciliusque affici alia mox commemoranda demonstrant, eadem in ipsorum centro sita causa gravius affligantur, quod ideo eadem causa, quae in dextro latere nonnisi convulsiones efficiat, in sinistro paralysin gignat? An in musculorum potius dextri et sinistri lateris varia incitabilitate causa quaerenda?

§. 35. Convulsiones deinde et eclampsiae insultus, qui ex ingenti aliqua irritatione, subito iniecto terrore aliove gravissimo animi affectu, superveniunt, haud raro ab uno latere vehementiores accidunt quam ab altero, nonnunquam solum alterum latus invadunt. Et quae quidem ex locali aliqua nervorum irritatione pendet, convulsio, id imprimis latus, in quo irritamentum haeret, vel gravius, vel solum afficere solet. Quo pertinet, Iensium (1) aliquando dextrum trunci latus dextrumque crus et brachium saepius redeuntibus vicibus

(1) Tissot *Abh. üb. d. Nerven u. deren Krankh. übers. v.* Ackermann. T. III. p. 67, ubi et alia a Chomelio litteris tradita haud absimilis historia recensetur.

convulsivis motibus succussa vidisse, qui a calculis felleis ortum ducere ipsi videbantur. Huc etiam a Boneto in sepulchreto anatomico (1) condita historia spectat de viro agens, cui sinistro in inguine intumescentia herniae inguinalis propemodum speciem prae se ferens nonnunquam celere aborta est, ex qua reptantium formicarum pruritus ad plantam pedis lente descendens, tunc subito ad caput regrediens, validas eiusdem lateris convulsiones excitavit, ipsam quoque linguam ex parte afficientes, inter quas vero sensibus ac mente aeger constitit. Puellae deinde solius dextri lateris haud levium convulsionum, quas temerarius magneticus sic dictus attactus intulerat, spasmique tonici ab eo inde tempore ad levem quamque virium intentionem brachium dextrum prehendentis Venerandus ac Illustris Praeceptor Fr. B. Osiander (2) meminit. Aliusque, quae a fulgure, et tonitru perterrita sinistri cruris ac brachii vehementibus correpta est convulsionibus in Ephemeridibus naturae curiosorum (3) mentio fit. — Imprimis etiam hic memorentur oportet hysterici spasmi et convulsiones

(1) Lib. I. Sect. XII. append. p. 291.
(2) *Über d. Entwickelungskrankh. in d. Blüthenj. d. weibl. Geschlechts* 1817. p. 76.
(3) Dec. I. A. 8. obs. 71. p. 119.

quam saepissime alterutrum solum latus detinentes. Modo alterius lateris faciei musculi per brevia intervalla saepe repetitis vicibus se contrahunt (1), modo colli alterius lateris musculi subito convulsi caput succutiunt (2), modo artus alteri circumiiciuntur, modo et artus et facies in latere altero convulsionem patiuntur (3).

VII. Unius lateris prae altero affectio in Epilepsia.

§. 36. Inter singulorum morbi comitialis insultuum prodroma symptomata saepissime singulorum quorumdam musculorum spasmodicae contractiones, animadvertuntur atque crebro ab altero tantum corporis latere contingunt. Modo os distorquetur ad alteram aurem (4), modo caput ad latus trahitur (5), modo a manu incipientes convulsiones cum aura epileptica sensim per brachium et colli latus ad caput ascendentes (6) vel brachii et eiusdem lateris oculi convulsivus motus (7),

(1) Wepfer l. c. obs. 139. p. 482.
(2) Id. ib. obs. III. p. 393.
(3) Ettmüller cas. et observ. n. 286. opp. Genev. 1736. fol. T. IV. p. 394.
(4) Tissot *Nervenkrankh.* B. III. p. 126.
(5) Id. ib. p. 127.
(6) Wepfer. affect. cap. obs. 194. p.
(7) Thilenius *med. chirurg. Bemerk.* B. II. p. 98.

antequam aeger concidat, proxime antecedunt. — Pari modo perfectam epilepsiam praenuntiant interdum leviores insultus, quibus cum sensuum subitanea interceptione nonnisi alterius lateris hae vel illae partes convelluntur, postea etiam inter graviores impetus quandoque rursus apparentes (1). Nec non a declinante morbo varii alterius lateris spasmi nonnunquam relinquuntur levi de causa recurrentes (2).

§. 37. Tum in ipsis epilepsiae paroxysmis alterum corporis dimidium plerumque altero vehementioribus motibus clonicis agitari ex Ill. Himly praelectionibus comperi. Verum non modo vehementius, sed solum etiam interdum alterum latus concutitur. Vir enim quidam, qui herculeo morbo, cuius paroxysmi a dextri brachii ac pedis convulsione semper initium capiebant, a multis retro annis laboraverat, post ictum in caput latum subito convulsus corruit et per insequentem nycthemeron decem ad duodecim insultus passus est eo insignes, quod non nisi dextri artus agitarentur. Altera perlustratio et mortis et dextri lateris eminentioris affectionis revelavit causam: in medio enim cerebello extravasatum sanguinem atque durae matris sinistram partem ad unciae

(1) Tissot l. c. p. 19.
(2) Thilenius l. c. p. 88.

latitudinem incrassatam et cerebro arcte adhaerentem cerebrumque ipsum eo loco induratum exhibuit. — Alias, reliquis omnibus partibus clonica convulsione quassatis, alterius lateris aliqui, quin omnes musculi spasmo tonico detinentur. Sic Tissotus (1) caput per totum paroxysmum versus sinistrum latus detortum vidit; atque Haënius (2) pueri epilepsiam, scribit, varietate terribilem nunquam graviores suos insultus modo perfecisse eodem, alio enim tempore totum corpus, medium autem alio convulsum fuisse, altera sui parte obrigescens: nunc opisthotonum, emprosthotonum utcunque alio tempore fuisse.

VIII. Unius lateris prae altero affectio in Chorea St. Viti.

§. 38. Alterum modo corporis latus quam saepissime peculiare spasmorum genus afficit, musculorum motus involuntarius, ut nonnullis vocatur, sive choreae St. Viti levior gradus. Dimidii corporis affectio adeo totum corpus detinente scelotyrbe frequentior est, ut Sydenhamus (3) choreae sub nomine illam modo

(1) l. c. p. 7.
(2) Ei. rat. med. P. V. p. 123.
(3) Opera medica Genev. 1736. p. 360.

eximie pinxerit, multi post eum illam tantum sub chorea intellexisse, perfectam choream ne novisse fere videantur. Prima symptomata plerumque morbus in altero pede vel brachio edit et inde post brevius longiusve tempus ad alteram eius lateris extremitatem procedit. Interdum etiam colli, faciei, oculorum musculi qui ab hoc latere siti sunt, cum artubus afficiuntur (1), nonnunquam imo et lingua dimidia voluntati minus obedit et ad convulsionem prona, quin praeter unum alterumque verbum intelligibilia pronuntiari possint, impedit (2). Utplurimum, etiamsi ad satis altum gradum pervenerit, subsistit hoc in latere musculorum motus involuntarius alterumque (corporis latus) liberrimum ab ea evadit. ANDREEUS (3) adeo crudescere eam vidit, ut hemiplegia aliqua superveniens omnem motum in eo latere ad aliquod tempus inhibuerit, tamen alterum non affici. Interdum vero morbus etiam ad hocce procedit, levius tamen plerumque id afficit, et saepe pedem (4) dumtaxat, vel

---

(1) Brera in diario a se edito. Giornale di medic. prat. Vol. II. 1812. p. 16 sqq. — De Haen rat. med. P. I. p. 106.

(2) WEPFER affect. cap. obs. 116. p. 527.

(3) Cases of epilepsis, hysteric fits and St. Vitus's dance. London 1753. c. 22. p. 162.

(4) WEPFER l. c. obs. 117. p. 534.

brachium, (1) prout a pede vel brachio primum inchoaverit, leviter agitat. Pari gradu utrumque corporis latus affici, rarum est.

§. 39. Paullatim hic affectus transit in plenam perfectamque choream St. Viti, qualem Wichmannus delineavit, eo praesertim differentem, quod et totum corpus patiatur et morbus, veluti gravior quisque convulsivus affectus, per paroxysmos accedat, nec ipsa mens non particeps sit. Frequenter ea ab unius modo lateris morbo incipit, saepe in illum desinit. Neque non in ipsis gravioribus eius insultibus alterum latus saepe prae altero gravius affectum est, interdum solum convellitur, ita tamen, ut eodem in aegro modo hoc, modo illud latus infestetur (2). Non praetereundum est, in virgine, cui plerumque alterius modo lateris crus et brachium moverentur, interdum vel regularem alternum spasmum alterius brachii pedisque lateris oppositi et vicissim observatum esse (3).

§. 40. Estne forsan in eo inter leviorem scelotyrben perfectamque choream discrimen ponendum, quod in illa medulla spinalis

---

(1) Andree l. c. p. 262.

(2) Heberden comment. de morb. historia et curat. Lond. 1812. p. 92.

(3) Woeltge diss. observationum medic. fasc. Goett. 1783. obs. 1.

praesertim, in hac oblongata magis cum vicinis partibus mali sedes sit? — Certe Barba (1) in puella, quae proximis ante mortem mensibus sinistri lateris scelotyrbe laboraverat, medullam spinalem deprehendit valde extenuatam mollem et flaccidam et per totum decursum hic illic inflammatam et suppuratam. Etiamsi ne vero quidem simile sit, semper vegetationem tam graviter in medulla vitiatam esse, potius eam plerumque a bona valetudine non longe abscedere et morbi lenitas et paralysis plerisque in casibus medullae degenerationem insequens probet, tamen, ni semper, nonnunquam saltem medullam motus musculorum involuntarii ortum esse, observatio illa clarissime demonstrat. Optime inde explicabis, qua ratione levior chorea in afficiendo unum modo corporis latus adeo sibi constet, qua, quum ad alterum latus procedat, eum artum potius invadat, a cuius sodali primum initium ceperit, qua tandem gravior haud raro quidem alterum modo latus commoveat, in eodem tamen aegro modo dextrum, modo sinistrum.

Choream St. Viti, si non omnes artus afficiat, laevam potius quam dextram corporis

---

(1) l. c.

partem occupare HAENIUS (1) multorum annorum experientia docuit. Idem et alii confirmant, GARDANUS (2), IUNCKERUS (3), R. A. VOGELIUS (4).

IX. Spasmus alterius lateris tonicus.

§. 41. Spasmos tonicos singularum unius lateris partium, musculorum colli dimidii, unde aliqua capitis obstipi species, faciei dimidiae, oculi alterius, unde strabismi species quaedam, alterius brachii vel pedis, et in hisce solorum interdum irritabilitate praevalentium musculorum flexorum, satis frequenter observamus, nunc mali hysterici symptomata (5), nunc epilepsiae paroxysmorum vel prodromos vel comites, nunc rheumaticis ac arthriticis impetibus, doloribus alterius capitis lateris, hemiplegiis etc. adiunctos. Memoratu dignum, in hystericis insultibus alterum crus valde flexum, alterum magnopere extensum quandoque inveniri (6). Saepius etiam utraque unius lateris

(1) Ei. rat. med. P. I. p. 110.

(2) Ei. coniect. sur l'électric. médic. 1768. p. 119.

(3) Ei. conspect. medic. theoret. pract. tab. 123.

(4) Ei. praelect. de cognoscendis et curandis C. H. affectibus §. 503. p. 407.

(5) Musculorum colli sinistri — COZE Journ. de méd. T. 24. 1766. p. 391. — WEPFER affect. cap. obs. 111. etc.

(6) HOFFMANN.

extremitas spasmo obrigescit (1). Truncus autem, dum ἐμπρόσθεν et ὄπισθεν a spasmis eum curvari sat frequenter observetur, dextrae sinistraeve sui partis convulsionem, qua in latus flectatur, adeo raro experitur, ut unquam experiri Mercurialis et Sorbuitius plane negaverint. Cuius rei causam in eo quaeras quod musculi corpus in pronum et in supinum flectentes et fortiores, et, cum usu, tum ipsa anatomica dispositione, magis antagonistice sibi oppositi sint, quam qui dextrorsum et sinistrorsum curvant.

§. 42. Tetani ei speciei, qua convulsione tonica vel in alterius lateris musculis fortiori, vel in solis iis praesente, in huncce modum corpus flectitur, *pleurothotoni* nomen Haenius (2) imposuit. Talem Valsalva (3) vidit in iuvene, qui praegressa laevi brachii rigiditate et inflexibilitate pleno tetano correptus posthac quidem manus pedesque paulum movere valuit, ante tamen ipsam mortem novam contractionem passus est, quae corpus in latus curvavit. Ipsius deinde Haenii aliquis aeger tetano implicatus aliquoties sinistrum in latus contractus est: atque aegra a violenta colli

(1) Cf. §. 276. et 36.
(2) Ei. rat. med. P. X. p. 135.
(3) Morgagni de sed. et caus. morb. Ep. X. Nro. 2.

contorsione obstipo capite laborans per intervalla in laevum latus sic incurvata est, ut romanam litteram C retulerit. Num forsan etiam Valsalvae iuvenis sinistrum in latus flexus est? Moseleyus (1) primarium pleurothotonum unquam adfuisse non credit, interdum tamen, postquam paullo ante tetani in mortem exitum hemiplegia supervenisset, secundarium accedisse putat: ipse observasse non videtur. Vereor tamen, ne falsus sit; Haenii enim aegri aliquoties ac per intervalla in latus flexi sunt.

X. *Dolores alterius lateris.*

§. 43. Omnino statuendum esse videtur omnes quos nervis e cerebro et medulla spinali ortis sentimus, non a vasorum systematis affectione per utrumque corporis latus propagata exeuntes dolores dimidiatos esse morbos. Quod non solum valet de doloribus e mero nervorum morbo ortis, uti de hemicrania vera, prosopalgia, odontalgia nervosa, ischiade Cotunni, sed de doloribus etiam inflammationes partium ab altero modo corporis latere sitarum comitantibus ac rheumaticis omnismodi. Quodsi utrumque latus affectum est, duplex adest

---

(1) Ei. treat. on tropical diseases 4. ed. 1803. p. 491.

morbus, sicuti duplex nephritis utroque rene inflammato. Si autem simplex adest, dolores saepius usque ad lineam proiiciuntur illam, quae corpus in duas partes aequales dividit atque sinistros separat nervos a dextris, nec trans lineam in alterum corporis latus transiliunt. Quae manifestissime animadvertimus in capite, quod propter multos in eo distributos nervos creberrime vehementissimis afficitur doloribus. Saepe ibi dolor usque ad medium mentum penetrat, ad dentem incisivum medium, ad commissuram labii superioris (1), saepe accuratissime dimidius dolet nasus (2), dimidia frons (3), alterum capitis latus ad suturam sagittalem usque: propagantur inde dolores per nervos cervicales in dimidium collum et cervicem ad interscapilium et humerum eius lateris (4), minime affecta altera dimidia corporis parte. Hoffmannus (5) novit, cui totum dextrum caput, oculus dexter, frons, nasus, os, lingua, maxilla, usque ad collum, omnia ad dimidiam dextram partem doluerint.

---

(1) Carron in Sedillot recueil per. de la soc. de méd. de Paris T. 40. Nro. 5.

(2) Hoffmann consult. et resp. Sect. I. cas. 5.

(3) Wepfer. affect. cap. obs. 60. p. 172.

(4) Wepfer. l. c. obs. 58. p. 158. — Hoffmann med. syst. rat. T. IV. P. II. p. 115.

(5) Consult. et resp. Sect. I. cas. 3.

§. 44. Singulos dolores percurrere longius me abduceret; subsistam itaque in iis, qui supra alterum corporis dimidium latius se extendunt. Alias simul in diversis partibus eadem ex causa dolores oriuntur, veluti qui latus ab apoplexia nervea resolutum saepe tenent, qui in hemiplegia affecto cum redeunte movendi facultate excitantur, illique, qui convulsiones et scelotyrben (1) unius lateris nonnunquam comitantur. Alias, uti in pellagra laborantibus frequenter observatur (2), a medulla ad pectus artusque alterius modo lateris acuti proiiciuntur. Alias dolores, qui ceterum iuxta nervorum ramos solum procurrunt, per ipsius medullae spinae alteram funem ad remotiora loca eodem in latere propagantur. Sic clavi hysterici dolor, qui quotidie recurrens ad tempora sinistra, maxillas, dentes, fauces, cervicem, humerum in sinistro latere paulatim se extendit, aliquoties vel ad pedem usque sinistrum descendit (3). Quo referas etiam memorabilem illum dolorem, qui feminae

---

(1) Wepfer. l. c. obs. 117. p. 734. — Dolor tensivus et pungitivus totius lateris dextri.

(2) Strambio's *Abhandl. üb. d. Pellagra, aus d. Ital. v.* Weigel. 1796. p. 25. Strambius doloribus hisce non satis aptum *hemiopalgiae* nomen imposuit.

(3) Wepfer. l. c. obs. 118. p. 550.

vomitibus et dextri lateris hemicraniae frequenter obnoxiae in cervice dextra obortus inde per interscapilium ad os sacrum et inguen dextrum et hinc ad femur descendit, tertio die exacto ad cervicem reversus iterum per tres dies descendit, atque sic per sex septimanas quoquo triduo eundem circulum percurrit (1). Irruit quidem levior dolor in sinistram quoque coxam, quod vero, quum a medulla manifeste exierit dolor, contra proxima paragrapho enuntiata nil facit. Per eandem medullam propagatos dolores esse iudico, quos puella quaedam experta est, de qua in Fabricii Hildani (2) observationibus agitur. Immiserat ea sibi inter ludos in meatum auditorium sinistrum globulum vitreum, qui, variis ad extrahendum factis periculis nonnisi altius infixus, auris continuos dolores excitavit; hisce deinde sedatis totum capitis sinistrum latus ad suturam sagittalem usque continuo doluit; accesserunt brachii initio, tum totius lateris sinistri stupor et torpor, vehementes postea brachii, humeri, cruris dolores, ac, postquam per quatuor vel quinque annos cruciaverant miseram, paroxysmi denique epileptici. Octavo demum anno

(1) Wepfer. l. c. obs. 54. p. 146.
(2) Cent. I. obs. 4.

praeterlapso, quum brachium totum emaciatum esset, globulum extraxit FABRICIUS, unde dolores illico cessarunt et puella mox perfecte restituta est.

§. 45. Hemicrania frequentius dextro sinistrum afficit latus. Ill. HIMLY hemicraniam hystericam in iunioribus plerumque sinistrum latus occupare, seriore aetate demum dextrum invadere observavit, quorum vero contraria ex observatione se didicisse alius huius urbis inclytus medicus privatim mihi testatus est. IUNCKERUS (1) sinistrum latus prae dextro frequentius hemicrania laborare contendit, quod ab eadem pendere causa dicit, qua hysterica symptomata saepissime in sinistro latere appareant. Itidem HEBERDENIUS (2) a latere sinistro, ait, saepius quam a dextro eam sibi visam esse. Periodica quoque hemicrania, quae febrium intermittentium loco initio cuiusvis autumni in oppido Annecy grassantium anno 1811 hoc oppidum invadebat, plerumque sinistrum occupabat latus (3). Ischiadem etiam et dolorem faciei (4), quocum hemicrania praeter

(1) Ei. conspect. medic. theoret. pract. tab. 47.

(2) Ei. comment. de morb. hist. et curat. Lond. 1802. p. 84.

(3) CARRON l. c.

(4) Obiter hic adiiciam, FABRICIUM HILDANUM (obs. chir. Cent. IV. obs. 6.) egregie descripsisse prosopalgiam, bene etiam illam exposuisse WEPFER. (Affect. cap. obs. 5a. p. 134).

sedem saepe valde convenit, frequentius sinistrum afficere latus, fere verisimile videtur.

XI. Sensus varii morbosi unius lateris.

§. 46. Proximis hisce paragraphis varia sensus organici vitia comprehendam per alterum modo corporis latus propagata, quae, a doloribus magis minusve recedentia, iis annumerari non poterant. Uti dolores, et ea, dummodo a mero nervorum affectu pendeant, veri sunt dimidiati morbi, nec, nisi ad plexus abdominales procedant vel medulla cerebrumve nervorum affectionem propaget, ab uno corporis latere in alterum transmigrant.

§. 47. Primum eius sensus mentio fiat, quo interdum hemiplecticis quasi obdormivisse resolutum latus videtur (1). Ab eo vix dignoscendus est sensus formicationis, qui faciem dimidiam vel alterum pedem et brachium, totumve alterum corporis dimidium (2) pervadens crebro ad paralyticos et convulsivos eiusdem lateris accedit, interdum quoque absque iis molestus est. In cereali etiam morbo myrmecismus interdum alterum corporis latus non

(1) Wepfer. l. c. obs. 158. p. 762.
(2) Sinistrum latus — Wepfer. l. c. obs. 61. p. 184.

transscendit (1). Pellagra laborantibus quibusdam radii ignei modo ad oculos, modo ad aures, modo celerrime per unum alterumve corporis latus proiici videbantur (2).

§. 48. Interdum varii sensus organici affectus solis periphericis nervorum in cute dimidii corporis finibus insident. Sic mulier quaedam brevi ante impetum apoplecticum, qui dextri lateris hemiplegiam reliquit, a dextro inde capitis dimidio per totum dextrum corporis latus aqua calida transfundi credidit (3). Simili modo viro cuidam aquae guttae permeare videbantur latus totum dextrum imperfecta paralysi tentatum, ita ut faciem madere lacrymis putaret, quas manu sana nitens abstergere, nullas esse deprehendit: brachium dextrum videbatur illi rigere gelu, crus contra ardore (4). — Alius palpebrarum oculi dextri dolorosa excoriatione laborans, quotiescumque fortasse pilum earum aliquem durius tractaret, per totam dextram corporis medietatem vago horrore perfundebatur (5). — Ad solam cutem forsan pertinet etiam mirus ille a Wepfero

---

(1) Wichmann *kleine med. Schriften*. 1799. p. 86.

(2) Strambio l. c. p. 83.

(3) Wepfer affect. cap. obs. 170. p. 819.

(4) Zuliani comm. de apopl., praes. nervea §. 138. p. 183.

(5) Baglivius de fibra motrice spec. lib. 1. cap. 10. Opp. omn. L. B. 1745. 4. p. 345.

observatus ardor lateris dextri, qui quoquo mense semel vel bis recurrit ac ab imo pede incipiens subito per totum latus usque ad caput propagatus est, cuiusque singuli insultus, haud ultra horae quadrantem protracti, aegrotum languidum reliquerunt, ut decumbendum ipsi esset. Initium ceperat affectus ex allisione malleoli interni pedis dextri, unde per tres septimanas quidem nec dolor nec ulla molestia supervenerat, post tertiam exactam vero ardor pedis obortus est, nec continuus, nec diuturnus, mox latius propagatus.

§. 49. Quo loco recensendi etiam frigoris et caloris sunt sensus per dimidium corpus molesti, quatenus non a maiori minorive caloris evolutione, sed a nervorum prava incitatione pendent. Quibus hysterica imprimis et hypochondriaca passione laborantes crebro obnoxii sunt. Caput hisce hemicrania dolens, frequenter frigere ad dimidiam sui partem videtur, ipsique hemicraniae, acerbius saepe tunc affligenti, per corporis respondens latus nonnunquam levis frigoris sensus antecedit (1). Aliis alterum latus, quod spasmi obsident vel subitanei torpores et stupores invaserunt, a

(1) Tissot *Nervenkrankh.* B. III. p. 514.

vertice ad calcem usque frigescere videtur (1). — Non frigoris, verum caloris sensum ab altero latere molestum fuisse, unicus BARTHOLINUS (2) meminit, qui e dextro hypochondrio in viro quodam calorem per musculos externos cum partium, quas ceperit, stupore sensim ascendisse refert ad brachium et colli facieique partes sinistras, stupente simul pede dextro et convulsis faciei eius lateris musculis: qui idem paroxysmus saepius reversus, nihilominus graviorum convulsionum praenuntius non fuerit. PECHLINUS (3) tandem de femina agit, corpus a capite ad pedem velut perpendiculari sectione dimidiatum ex altera parte glacie, ex altera igne infestari, questa, manu admota, differentiam quidem inter utriusque lateris temperiem, sed non adeo magnam animadvertente.

§. 50. Postremo demum loco *aurae epilepticae* fiat mentio, sive flatus frigidiusculi calidive vel formicationis sensus epilepticis insultibus nonnunquam praevii, qui ex alterutrius lateris aliqua parte per nervos adscendens,

---

(1) ETTMÜLLER casus et observ. 286. — Opp. Genev. 1736. fol. T. IV. p. 394. — WEPFER. affect. cap. obs. 32.

(2) Ei. hist. rar. Cent. III. hist. 20.

(3) Ephem. nat. cur. Dec. I. A. 9. et 10. obs. 32. p. 89.

quum ad nervorum centrum, vel abdominale, vel cerebrale, pervenerit, illico convulsus aeger concidit. Ex pede orta aura, ad plexum solarem properans, plerumque iam circa abdomen laterum divisionem deserit, interdum autem altius per medullae alterum fasciculum ad caput ascendit, modo quidem adeo citato gradu se proripiens, ut statim in capite, neque in interiectis partibus percipiatur, modo autem lentius procedens, ita ut eandem nervis superius ab hoc medullae latere emissis sentire sibi videantur aegroti. Cuiuscemodi flatum iam GALENUS (1) refert duobus in pueris per alterum modo corporis dimidium a crure per femur, lumbos, latera et cervicem ad caput penetrasse; et TULPIUS (2) sinistri pedis pollice exeuntem genu praesertim, tum humero, cervici deinde ipsique cerebro molestum observavit. Alteram medullae partem hosce affectus utplurimum non transcendere observatio etiam BONETI probat supra (§. 34.) apposita, qua ex sinistro inguine ad pedem descendentem tum ad caput subito regredientem formicationem non nisi sinistrorum artuum

(1) De loc. affect. Lib. III. Cap. 7.
(2) Observ. Lib. IV. cas. 2.

convulsionem praenuntiasse relatum est. Manifestius etiam, si e brachio alterutro aura procedit, eodem in latere eam se continere, ex quo exiit, videmus, tum praesertim, quum cum illa et convulsiones a brachio per cervicis, quin faciei alterum latus sensim adscendant (1). Idemque et Bartholini superiore paragrapho inserta observatione confirmari videtur. — Sed altera de aura epileptica obiicitur quaestio, quonam ex latere ascendere frequentius observetur. Quam ad solvendam quod inserviat, licet nihil omnino apud varios a me evolutos auctores se obtulerit, e sinistro tamen latere praesertim illos ascensus fieri, ex singulis, in quas hic illic incidi epilepsiae, vel pedi symptomaticae, vel ex brachio sive trunci aliqua parte inchoantis, observationibus ad aliquam saltem probabilitatem efficere posse mihi videor. Inter 20 enim huiusmodi historias, quibus, utro ex latere aura ascenderit, indicatum est, 15 e sinistro, 5 tantum e dextro ascendisse eam referunt.

---

(1) Cf. §. 35.

XII. Unius lateris prae altero affectio in hypochondriasi et hysteria.

§. 51. Inter diversissimas formas, quas hypochondriasis et histeria induunt, multae etiam obveniunt, in nostrum censum referendae: quas autem, quum inter nervorum affectus superioribus paginis recensitos vix existat aliquis, cuius speciem malum hocce hercle polymorphum nec peculiari ulli formae adstrictum non aliquando affectaverit, multaque huc spectantia iam tibi tradiderim, hic prorsus non enumerem. Iuvabit tamen infra indicasse singulas paragraphos quibus inspectis intelliges, quam multifario modo etiam alterum duntaxat corporis latus hysteria afficiat (1). — Et sinistrum quidem latus esse, quod prae altero multo frequentius exagitet, Iunckerus (2) testis est.

(1) Conferas §. 11. 28. 31. 32. 37. 44. 52. 55. 63.
(2) Conspect. medic. theor. pract. tab. 47.

APPENDIX

De nervorum decussatione.

§. 52. Ut tandem huius capitis nimis iam in longum latumque extensi finem properem, paucula tantum prolatis adiiciam de centralium nervorum finium decussatione, quam si omnino praetermitterem, vereor, ne possit fore, ut negligentiae accuser. Sed in magna rerum copia perbrevis ero. — Quae autem de alterius corporis lateris modo hemiplegia, modo convulsione alterius cerebri partis vel vulnere, vel pressione, vel organico vitio illata experientia edocuit, sunt propemodum haec :

1. Quodsi sola hemiplegia adest absque alterius lateris convulsione
   a. utplurimum et tantum non semper in cerebri ea parte, quae resoluto lateri opposita est, vitium haerere, plurimorum medicorum longe plurimae observationes confirmant (1);

(1) Cf. praesertim Valsava de cur. hum. cap. 5. — Morgagni epist. anat. XIII. n. 14. sqq. — Id. adv. anat. VI. n. 84. — Id. de sed. et caus. morb. plur. loc. — Haller elem. phys. T. IV. Lib. X. S. VII. §. 29. — Du Pui diss. de hom. dextro et sin. Sect. II. cap. 1 et 2 etc.

b. Verum tamen nonnunquam etiam ex sinistri cerebri laesione varioque vitio sinistrum, ex dextri dextrum corpus resolvitur: sed rara sunt exempla (1).

2. Altero latere convulso, altero resoluto,
   a. plerumque illud latus paralysis tenet, quod cerebri vitio oppositum est (2);
   b. multo rarius hocce convulsione, cerebri laesioni e directo respondens hemiplegia afficitur (3).

3. Si alterum latus convellitur, alterum nulla paralysi afflictum libere movetur
   a. tantum non semper in convulso lateri opposita capitis parte vitium haeret (4);
   b. ubi in ipso convulsione agitato latere cerebri vitium situm fuerit, tale exemplum praeter unum forsan a Haenio (5) relatum mihi non obvenit.

---

(1) Morgagni epist. anat. XIII. n. 19. 25. — Id. de sed. et caus. morb. Ep. 57. n. 14. 15. Ep. 62. n. 13. — Haller l. c. — Du Pui l. c. §. 4. — Albrechtus in Act. nat. cur. Vol. VI. obs. 123. p. 413. — Kirkland comment. on apopl. a paralyt. affect. Sect. IV. c. 11. — Baumes. cf. §. ?.

(2) Haller l. c. — Du Pui l. c. §. 3.

(3) Bereti sepulchr. an. L. I. S. XV. obs. 27. — A. nat. cur. Vol. VIII. obs. 103. p. 364. — Wepfer. affect. cap. obs. 9. p. 13.

(4) Haller l. c.

(5) Ei. rat. med. T. III. p. 186.

§. 53.[a] Generalis ergo, etsi non perpetua lex est, ut dextro cerebro laeso sinistrum corpus vel solum, vel gravius saltem dextro afficiatur, et vice versa: eaque iam veterum medicorum nonnullos, recentiorum plurimos adducit ad quaerendum nervorum origines in parte cerebri illi loco opposita, in quo sparguntur, ponendumque, in decussim eas ab utroque latere duci. Cuius interim decussationis doctrinae pauci etiam extiterunt adversarii, qui alio modo explicare conati quidem, ipsa tamen exponendi variorum modorum discrepantia, quam parum hunc in finem proposita sufficiant, ostenderunt, a quibus praeterea ad plura provocatum est, a recentiori physiologia omnino refutata et excussa. Quae tamen, ne longius extra huic commentationi positos fines progrediar, omittam omnino, relegemque, qui plura cupiat, ad Puium, qui in dissertatione de homine dextro et sinistro (1) omnia ad suum usque tempus de nervorum decussatione acta egregie composuit, ipse decussationis strenuus, circumspectus tamen oppugnator.

§. 53.[b] Illic, ubi medulla spinae in cerebrum transit, circa corpora pyramidalia praesertim et in ponte Varolii, dextrae sinistraeque

---

(1) Cap. 2. §. 3.

eius partis fibrillas magnam saltem ad partem decussari et in oppositum latus transduci, summorum virorum, SANCTORINI, PETITI, WINSLOVII, HAENII (1), SOEMMERINGII (2), GALLII OE SPURZHEIMII (3), MECKELII (4) anatomicis disquisitionibus extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur. Qua vero re, multum abest, quin omnes difficultates solutae sint. Nondum explicatum est, cur musculi faciei, cur organa sensuum, si ad ea usque hemiplegia extenditur, eodem in latere, quo paralysis artus prehendit, resolvantur, neque in opposito. Nondum patet ratio, qua in aliusmodi etiam nervorum affectibus caput vix unquam non ab eodem latere affectum sit, a quo reliquum corpus aegrotat (5). Ferme necesse erit, accipiamus, praeter cerebri in medullam excurrentia crura omnium etiam nervorum cerebralium origines in decussim duci. Quaenam ad haec commissurarum cerebri sit dignitas, quaenam ratio

---

(1) Ei. rat. med. P. IV. p. 211.

(2) *Nervenlehre*. §. 73.

(3) Anat. et physiol. du systeme nerveux T. I. 1810. p. 58.

(4) ASCH, praes. MECKEL; diss. de vitiis nonnullis medullae spin. minus cognitis. Halae 1815. §. 6.

(5) Quandoque vero capitis unius lateris affectum reliqui corporis oppositi lateris affectui respondere, VIEUSSEUXII morbus docet §. 13. allatus

nervorum opticorum chiasma originumque eorum decussationem intercedat, non patefecerunt hucusque institutae observationes. — Singulas capitis partes, oculorum musculos v. g. oculosque ipsos interdum non eodem in latere, quo reliquum caput et corpus, sed in opposito affici, huic subesse utplurimum videtur, quod singulis eas aggredientibus nervis cerebri vitium proxime adiacens eos simul affecerit (1).

§. 54. Ex eo vero, quod interdum non oppositum, sed idem illud latus, in quo in cerebro vitium haeret, afficitur vel solum vel prae altero gravius, non decussatim solum fibras medullares sibi implicari discimus, sed intime etiam permisceri, adeo ut hinc ex duplici percipiente nervo simplex sensatio fieri unaque anima duplici nervoso systemati supersedere possit (2). Mirum est, quod inter

(1) Wepfer. hist. apoplect. p. 394. Cf. ei. affect. cap. obs. 70. p. 819. Yelloly in Lond. med. chirurg. transact. Vol. I. n. 16.

(2) Etsi minus ad rem pertineat, memorandum tamen duco in permultis illis experimentis, quae Molinellius, Petitus, Zinnius, Hallerus, Arnemennus, Cooperus aliique in canibus egerunt, nunquam paralysin eodem in latere animadversam fuisse, quo cerebrum laesum parsve eius ablata esset. Quod quidem ostendit forsan in homine magis intime coniungi sibique immisceri fibrillas utriusque cerebri partis et nervorum utriusque lateris origines, in animali, prout ad inferiorem dignitatem descendat, staminum medullarium simplicem magis fieri decussationem, sicuti in chiasmate nervos

novem exempla hemiplegiae laesioni cerebri subiectum latus afficientis, quibus decimum, non quidem hemiplegiae, tamen debilitatis paralyticae ejus lateris (1) addas, unum modo, ab Albrechto allatum, sinistrum, cetera dextrum prospiciant. Cuius rei causa num in eo quaerenda est, quod dextri nervi prae sinistris intimius sui lateris cerebri partis connexi sint? In plerisque illorum casuum, ut in ipso Albrechti, licet in eo post capitis laesionem, alterius hemisphaerii substantia maxime degeneraverat, in duobus sanguinis haud exigua quantitas in ventriculum atque intra ipsam cerebri subsantiam effusa erat, in uno ossis cranii depressi frustulum ipsi cerebro inflictum erat, quo remoto hemiplegia abiit. An igitur forsan ex eo potius repetenda, quod dextra cerebri pars ad illiusmodi degenerationes magis prona sit? Ceterum modo posterior cerebri lobus, modo anterior depravatus erat, modo versus superficiem hemispherii magis, modo basi propius vitium haerebat. — Exemplis contra,

opticos in avibus apertius iam decussationem describere, in piscibus unum funiculum super alterum absque ulla medullae immixtione ad oppositum latus pergere videmus. Eo iam corporis humani perfectior fabrica ad perfectiorem supersedentem animam tenderet.

(1) Cf. Baumes.

quae novi, tribus alterius lateris hemiplegiae, alterius convulsionem ex cerebro a latere resoluto laeso sinistrum latus paralysi affectum fuit, quod vero priori sententiae non modo non contrarium est, sed favet potius ab aliqua parte.

§. 55. Num a *cerebelli* alterius partis laesione respondentis lateris forsan potius quam oppositi paralysis inferatur, quaestionem Morgagnius (1) obiecit. Raro autem admodum cerebelli vitia varia hemiplegiam aliumve alterius modo lateris affectum gignunt et ex paucissimis, quae prostant, huiuscemodi observationibus certe nil colligi potest. Tres enim tantum offeruntur casus, qui suadent illud, unus Planci abscessus lobi cerebelli dextri, alter Helvetii laevi lobi vulneris et suppurationis et tertius Foresti lobi cerebri posterioris et cerebelli dextri suppurationis, quibus obstat, Morgagnium (2) ipsum a sanguine in cerebelli laevam partem premente dextros artus resolutos fuisse observasse. Neque experimenta a Zinnio, Hallero et Arnemanno de canium cerebellis

(1) Ei, epist. anat. XIII. n. 23. Ei. de sed. et caus. m. Ep. 52. n. 27. Ep. 62. n. 14.

(2) Ei. epist. anat. l. c.

acta, maiorem rei lucem affundunt, eaque ideo in medio relinquenda est.

§. 56. *Medullae spinalis* laesiones, si pro dimidia parte fuerint, dimidiam etiam modo infestare partem corporis, illamque quidem, quae laesioni contigua est, nec suos etiam in oppositi lateris parte producere effectus, quam plurimae observationes suadent. Quod quidem ex ea quoque accuratissimorum anatomicorum observatione confirmatur atque augetur, qua nullam in medulla spinae decussationem, sed omnimode rectum fibrarum ordinem ac dispositionem invenerunt (1). Nihilominus autem exstant casus nonnulli, qui assertioni illi obsunt et, aliquos saltem medullae spinalis fasciculos in decussim ferri nec ab omni decussata actione eam exemptam esse, demonstrare videntur. Quo referas brachii unius et pedis alterius paralyses, quibus Fabricius (2) dysenteriam epidemicam excipi in pluribus observavit: referas choream St. Viti (3) et convulsiones hystericas (4) itidem nonnunquam alterius

(1) Cf. Du Pui l. c. §. 5. Haller l. c. Gall. et Spurzheim. l. c. Meckel. in Aschii diss. laud. Yelloly l. c.

(2) Diss. etc. in Halleri collect. dissert. ad morb. cur. fac. T. I. p. 97.

(3) Cf. §. 39.

(4) Coze in Journ. de méd. T. 24. May 1766. p. 391. Wepfer. affect. cap. obs. 77. p. 269.

lateris brachium, alterius pedem agitantes: referas, RIOLANO (1) visum pedis alterius torporem et atrophiam, quum oppositi lateris nervum cervicis sagitta percussisset: referas, PORTALIUM (2) cum affectione dextri lateris medullae sinistrum brachium convulsum, pedem resolutum vidisse: referas denique, I. P. FRANKIO (3), quum ad sinistrum pedem ardorem vehementem sentiat, dextrae, quum ad dextrum, sinistrae, auris susurrum semper molestum esse. Praeterea et ipsi aliqui anatomici fibras quasdam ab utroque latere in decussim ductas in medulla spinali deprehendere sibi visi sunt (4). Verum tamen ex adductis phaenomenis ad brachii unius et pedis oppositi spasmos in chorea et hysteria, quum totum nervosum systema in aegrotis illis affectum fuerit et modo universi corporis, modo unius tantum lateris convulsiones cum spasmis illis alternaverint, provocari non posse videtur: FABRICII paralyses et FRANKII susurrus haud ita difficilem explicationem ex gangliorum systemate

---

(1) Ei. anthropogr. Lib. V. Cap. 50. p. 249.
(2) Ei. anat. médic. T. IV. p. 116.
(3) *Über. d. Krankh. d. Rückgrats.* in *Abh. f. pr. Ärzte* B. XV. p. 297.
(4) Cf. Du Pui l. c. §. 6. ad fin. HAASE cerebri nervorumque C. H. anat. repet. 58.

admittunt: et in Riolani casu paucissimis verbis exposito medullam commotam et sanguinem circa alteram eius partem effusum fuisse suspicari haud absonum erit. Superest itaque unica Portalii observatio, quae medullae fasciculorum aliquam decussationem suadere videtur, eaque, quum magnae fidei vir retulerit, gravissima. Ipsam vero et hancce abigere atque ex affectione in medullam oblongatam propagata phaenomenon relatum explicare Aschius studet (1).

CAPUT II.

Rheumatismus et Arthritis.

§. 57. Rheumatismus et arthritis saepius alterum solum pervagantur corporis latus, altero intacto: atque, ubi plures partes simul invadunt, alterum haud raro gravius affligunt prae altero vel solum aggrediuntur. Quod ad probandum afferre liceat, Morgagnium (2) arthritidem a dextra manu ad dextrum renem, hinc ad dextram suram et cruris tarsique

(1) In dissertat. laudata p. 6.
(2) Ei. de sed. et caus. morb. Ep. 29. n. 10.

articulum, minime autem in alterum latus transeuntem aliquando vidisse: Wepferum (1) in sene, qui ab hemiplegia dextri lateris reficeretur, vehementes dolores arthriticos observasse humerum, cubitum, carpum, leviores coxam genuque eiusdem lateris invadentes; quos mox contractio et immobilitas cubiti, manus ac digitorum sequerentur. Arthriticae progeniei strepitus etiam erat, quem aliquando, praegressis per aliquot dies arthriticis sinistri carpi doloribus, omnes eius lateris articuli a tarso ad maxillam in sextam septimanam usque resonuere (2). Rheumatismum deinde universalem acutum aliquando omnia quidem membra, dextri autem lateris multo vehementius affecisse quam sinistri, Stöllerus (3) narrat. Ceterum de doloribus capitis, faciei, colli, musculorum trunci pectoralium et abdominalium a rheumatica et arthritica causa profectis, ni oborta inflammatio lineam corporis intermediam transcenderit, omnino valent, quae in §. 43. de doloribus a nervis cerebri et medullae sensis generaliter dixi.

---

(1) Ei. affect. cap. p. 537.

(2) Du Pui dissert. de hom. dextro et sinistro Sect. II. cap. 1. §. 61. sub fin.

(3) Ei. *Beobacht. u. Erfahr. a. d. Heilkunst* 1777. p. 116.

§. 58. Quod latus articularis morbus prae altero afficere soleat, apud permultos autores tam veteriores quam recentiores, qui speciatim de eo egerunt, nil inveni. Solus Sprengelius, laevum latus frequentius et gravius dextro affici, experientiam docuisse refert. Quod interim ampliorem desiderat confirmationem, aut forsan de serioribus modo insultibus vel de atonica tantum arthritide valet; ex celeberrimo enim medico quodam audivisse probe memini, primos arthritidis regularis impetus plerumque dextrum pedem invadere, ab eo postea in alterum latus saepe transire morbum, saepius vero ceteros etiam impetus in eodem facere latere. Rheumatici aurium et faciei dolores Isenflammio (1) frequenter in laevo, raro in dextro latere occurrerunt.

CAPUT III.

Pulsus in utroque carpo diversus.
Frigus et Calor unius lateris.
Febris unius lateris.

§. 59. Quum pulsus immutatio et frigoris calorisque vicissitudo inter praecipua sint febris

(1) Isenflamm u. Rosenmüller *Beyträge z. Zergliederungskunst* B. I. p. 17.

symptomata, in unum illa hic coniungere liceat. — Pulsus alterius arteriae radialis in multis etiam sanis hominibus magnitudine vel duritie vel celeritate ab alterius pulsibus differunt, iidemque in dextro carpo plerumque paullulum pleniores et fortiores deprehenduntur. Quod ex parte derivandum ex eo est, quod secundum anatomicorum SYLVAE, SENACI, HALLERI (1), SOEMMERINGII (2), RICHERANDII (3) aliorumque observationem dextra arteria subclavia sinistram amplitudine aliquanto superat, ex parte ex eo, quod sanguinem in dextram validius quam in sinistram impelli oportet, quia non solum dextra subclavia cum carotide dextra unum in truncum coniuncta est, sed truncus etiam hicce anonymus prius ex aorta emittitur quam alterius lateris singulae arteriae rectaque fere directione in eum a corde sanguis iniicitur (4). Eodem redire videtur quod ISENFLAMMIUS (5) in moribundis nonnullis, quum sinistrae arteriae radialis pulsus iam desiissent, dextram adhuc pulsantem

---

(1) Ei. elementa phisiol. T. II. Lib. 6. Sect. 1. §. 4. p. 163.
(2) Ei. *Gefässlehre*. §. 124.
(3) Ei. élém. de physiol. T. I. p. 318. et nosographie chirurg. T. I. p. 111.
(4) Cf. SOEMMERING l. c. §. 97.
(5) L. c.

distincte sensit. Maiorem subclaviae dextrae amplitudinem, pariter ac majus, quod plerumque observatur, eiusdem brachii volumen, docti viri recte censent, frequentiore huius usu gigni, quippe qui et sanguinis distributionem adiuvet et nutritionis energiam augeat, et firmantur in eo duorum laeva manu pro dextra utentium dissectione a Richerandio facta, qua sinistra subclavia dextram volumine excedens reperta est. Quae vero, caveamus, ne, corporis primitivam fabricam iam velociorem sanguinis per dextrum brachium circuitum abducere, negligamus: ex ea enim exponendam esse iudico, cur in duobus quoque amicorum, qui ambo sinistro brachio persaepe utuntur, torosiore insuper in eorum altero prae dextro et magis nutrito, dextra radialis sinistra fortius micare mihi visa sit. Accuratius investigandum erit, num forsan in neonato etiam infante subclaviae et carotides dextrae sinistris ampliores sint.

§. 60. Multo magis, ac in sanis, in aegrotis quam saepissime utriusque carpi pulsus ab invicem differre invenimus. Cadetus aliquando in altero intermittentem, in altero naturalem pulsum deprehendit: Morgagnius (1)

(1) L. c. Ep. 29. n. 10.

in viri, cuius dextrum latus arthritidem pervagatam esse meminit, brachio dextro intermittentem plerumque et inaequalem atque in alius solo sinistro omni inaequalitatum genere peccantem observavit (1). Quin vel ipsa arteriae ictuum frequentia nonnunquam non eadem est in utroque carpo. Zimmermannus (2) in femina, cui dextri cruris frigoris sensus molestus et incalescenti sinistrum corporis latus dextro semper calidius erat solumque sudabat, dextram arteriam radialem reperit per multas septimanas maxime debiliter et nonnisi quinquagesies quinquies minuti primi spatio pulsare, sinistram autem fortiter semper micare et ad 92um ictum pervenire. Haenius (3) aliquando dextram observavit 95, sinistram ad 110 et 115 pulsus per aliquot horas minuto quoque primo facere. Kreysigius (4) in carditide aegro mane ante diem supremum in dextro carpo 32, in sinistro 84 arteriae ictus numeravit, meridie in utroque aequalem iterum quinquagies micantem invenit; et Morgagnius (5)

---

(1) L. c. Ep. 24. n. 20.
(2) *V. d. Erfahrung* 1787. p. 205.
(3) L. c. p. 82.
(4) *Krankheiten d. Herzens* Th. II. Abth. I. p. 225.
(5) L. c. Ep. 24. n. 33.

in cordis vehementi palpitatione et spirandi difficultate infestato quodam dextram arteriam radialem sinistra, cujus pulsum ne frequentem quidem dicere poterat, vel ter rarius pulsantem animadvertit. Tantopere autem raro ab invicem abscendunt utriusque lateris arteriarum pulsus, plerumque celeritas modo, robur, magnitudo et durities aliae sunt in alio carpo.

§. 61. Pulsus in utroque carpo diversus creberrime singulae cuiusdam alterius corporis lateris partis morbo comitem se adiungit, ita ut saepe eiusmodi causa ibi quoque suspicanda sit, ubi alia signa eam non produnt. Frequentius interim in febribus et omnismodo morbis aliter in alio latere arteria micat, quam ut, localem systematis sanguiferi partis cuiusdam affectum cetera sui lateris vasa in consensum vocasse, ubivis supponere possimus. Haud raro etiam pulsus differentia a generalis utriusque corporis lateris incitationis differentia, et quum incitatio a nervorum systemate regnetur, ab eo pendet, quod hujus dextrae et sinistrae partis actio sibi non aequalis sit. Quae re vera ita esse, inde apparet, quod in nervorum morbis unum modo corporis latus vel alterum gravius prae altero afficientibus frequenter utriusque arteriae diverso pulsant modo. In hemiplegia paralytici brachii pulsus

nunquam fere non mutatus est: plerumque mollior, plenior lentiorque (1) est quam in sano latere, interdum vero durior et fortior (2), aut debilior, ut digitis vix percipi queat (3), quin per plures dies omnino deficere videatur (4), vel inaequalis (5), vel imo frequentior (6). Simile quid non raro in hysterica passione accidit. FOUQUETUS (7) nonnullis hypochondriacis et hystericis in altero latere pulsum semper duriorem et magis concentratum esse animadvertit, et plus quam semel mirabundus vidit, latera in gravioribus paroxysmis pulsum inter se commutare, itaque tensionem et duritiem nunc in altero latere animadvertendas esse. SCHMIDIUS in insultu hysterico, qui summa anxietate se prodidit, dum in dextro carpo pulsus satis fortis, aequalis et ordinatus erat, in sinistro brachio minime pulsum invenire potuit: qui sumto paullulo panis tosti et vini optimus iterum percipiebatur, cessabat tamen subinde et redibat.

---

(1) BETHKE *über Schlagfl. u. Lähmungen.* p. 402.
(2) PROCHASCA annot. acad. Fasc. III. Sect. 2. cap. 2.
(3) HOFFMANN med. rat. syst. T. IV. P. IV. cap. I. obs. 6. pag 36.
(4) Per novem dies — Acta nat. cur. Vol. VII. obs. 18. p. 60.
(5) Ibid. Vol. VIII. obs. 52. p. 190.
(6) SCHEIDEMANTEL *fränk. Beiträge z. A. G.* n. 18. p. 119.
(7) Essay sur le pouls 1767. Chap. XXI. p. 110.

§. 62. Quae sufficiant de pulsu, a quo ad caloris in altero latere respectu alterius evolutionem maiorem minoremve nos convertamus oportet, calorem frigusque ab eorum sensu, quem solorum nervorum prava incitatio aegris affert de quo supra actum est, longe diversum. Languentem vegetationem, qua ablatio novaque appositio, quibus nutritio efficitur, tardius procedit, vasaque minus fortiter in elaboranda fluida agunt, nunquam fere non maius frigus comitatur. Hinc frigidum fere semper hemiplegia resolutum latus est ac adeo alget interdum, ut frigus pene sit atmospherae: frigida etiam haud raro ad attactum alterius lateris membra sunt, quorum motus sensusque ad partem tantum interierunt, quae torpent et stupent (1). Nec praetereundum est, etiam in hystericarum summi frigoris calorisque sensu per dimidium corpus molesto, qui plerumque ad solos nervos pertinet, interdum, uti in Pechlini supra allata observatione, ipsam partium temperiem aliquantum immutatam esse. Nonnunquam etiam, ubi nervi minus aperte affectos sese ostendunt, per dimidium

---

(1) Pechlini observ. phys. med. Lib. II. obs. 54. p. 341. Ibidem, » vidimus, inquit, profecto ubi unius lateris extremum erat frigus, alterum caluisse. »

corpus vegetationem minus vigere et hinc eius lateris prae altero maius frigus esse observamus, adiuncto modo nimio sudoris per relaxata vasa cutanea profluvio, modo perspirationis cutaneae abnormi interceptione. Ita ex adverso alterum corporis latus prae altero magis calefieri videmus, comite plerumque largiore sudore, si vascula, quibus vegetatio in illo perficitur, nimis cuicunque stimulo obediunt et facilius iis alterius lateris ad auctam actionem incitantur. Cuius utriusque rei exempla sub sudore dimidiato mox recensendo quaeras. — Isenflammius (1), utut pulsum, calorem quoque in dextro brachio dextroque pectore in duobus moribundis invenit sinistri lateris calore ad aliquod tempus superstitem. Quaestio obiicitur, num forsan in plerisque, sicuti pulsus dextrae arteriae radialis pulsibus sinistrae pleniores et fortiores esse solent, dextri brachii vel totius lateris dextri calor sinistri lateris calore aliquanto maior sit: num forsan vegetationis in dextro latere maior sit energia, quam in sinistro.

§. 63. Ut tandem de *febri unius lateris* verba faciam, nonnunquam observatum est, singulas partes, vel post praeterlapsam veram

(1) L. c.

febrem intermittentem; vel etiam non praeterita illa, frigore certis intervallis recurrente et sequente aestu cum sudore affectas esse, sive in universum ea symptomata exhibuisse, quae in febre intermittente toto in corpore animadvertuntur. Semper, in illis quidem casibus a BURSERIO (1) citatis, magis minusve eminens gangliorum abdominalium affectio aderat: plerumque singulum modo aliquod membrum, sive unus, ut ita dicam, radiorum e secundo nervorum systemate exeuntium laborabat, vel ambo pedes, aut modo brachia, modo pedes affecti erant, atque, ne multa, minime hic apparuit divisio corporis in dextrum et sinistrum dimidium, quod ex eo pendere videtur, quod e gangliorum systemate totus morbus prodiret, systema nervorum cerebri non nisi secundas partes ageret. Dicunt (2) tamen, iuxta murum recenter dealbatum obdormivisse quendam et postea in illo solo

---

(1) Instit. med. pract. T. I. §. 47. p. 145. — cf. REIL's *Fieberlehre*. B. II. p. 94.

(2) COURMETTE in Journ. de méd. T. 85. 1790. p. 229. cf. BURSERIUS l. c. De eodem SENACUS (de recond. febr. interm. nat. p. 22.) agere videtur, ubi frigus in febribus intermittentibus saepe non omnes partes aeque aggredi memorat, de aegro tradi adiiciens, cui unum friguerit latus, dum alterum caluerit.

latere, quo iuxta murum iacuisset, febre affectum esse; ipsam autem observationem, quo primum communicata esset, invenire hucusque non contigit, indicare itaque nequeo, quousque cum illis exemplis conveniat, nec, num totum latus, an brachium tantum et pes laboraverint, num nervorum cerebri eminentiorem affectum dimidiatum morbum effecisse suspicandum sit, nec ne. An pulsus etiam in illis frigoris et ardoris vicissitudinibus mutati sint, non notatum invenio, observationibus vero supra allatis, quam facile in altero latere prae altero moveantur, ostendentibus, verisimile est.

CAPUT IV.

Oedema, atrophia et gangraena unius lateris.

§. 64. Sequantur generaliora vegetationis vitia, quae alterum corporis latus prae altero affecisse visa sunt, quatenus non per turbatas cutis functiones apparent: illa intelligas, ubi vasorum nutrientium vigor adeo fractus est, ut nimis aquosa verave aqua deponantur, ubi nutritio omnino minuta est et itaque tabes partium oritur, et ubi plane impedita est, ita ut partes emoriantur. Quo sane minuta etiam vel aucta caloris productio pertinet, quam alia ex causa in priore iam attigi capite.

§. 65. Unius lateris *oedema* atque *tabem* hemiplegiae praesertim comites observamus, nunc in partium resolutarum alia vel alia, in dimidia facie, altero brachio aut pede, nunc in toto dimidio corpore (1). Praeterea viscerum pectoris et abdominis parenchymatosorum alicuius, hepatis prae ceteris et lienis, chronicae inflammationi ac destructioni saepe accedunt eius modo lateris, quo viscus situm est, cum alterius extremitatis, pedis imprimis tum utriusque tumor vel atrophia (2). Ubi deinde totum corpus tabescit vel anasarca tumesit, frequentissime alterius lateris membra gravius prae oppositis affecta offendimus, cuius rei causam in illorum viscerum cuiusdam labe verti saepe certe suspiciendum est, quod autem semper ab ea derivari non magis potest ac pulsus in alio carpo alius. Anasarcae initio universalis, quae ad suras usque discussa iterum inchoaret, qua vero nunc solum fere sinistrum latus, sudore simul semper madidum, tumefieret, nonnisi sinistrae faciei et pectoris partes et sinistra manus hydrope scaterent laevumque crus

---

(1) Oedema: De Haen. rat. med. P. III. p. 152. — Atrophia: A. nat. cur. Vol. VIII. obs. 52. p. 190.

(2) Cf. Sect. II. Oedema integumentorum communium in regione lienali et totius cruris sinistri, reliquo corpore et crure dextro praesertim maxime emaciato, in abscessu lienis aegrotante v. ap. Jacquinelle in Journ. de méd. T. 88. p. 365.

dextro magis incresceret, dextrum latus ad paucos ante mortem dies et sudore et pene omni tumore vacaret, raram historiam Scheidemantelius (1) nobis reliquit. — Isenflammio (2) sinistra membra, pes praesertim sinister, magis semper oedemate tumida visa sunt quam dextra pedisque eius tumor pertinacior semper sese obtulit. Quorum etiamsi contraria quoque haud raro locum habere aegrorum observatio doceat, ille tamen testis gravi est argumento, sinistri lateris telam cellulosam prae ea dextri magis pronam esse ad auctam secretionem aquosam.

§. 66. Per totum corpus nonnunquam in altera dimidia parte laxam nimis et aquosam nutritionem, in altera supplementum dispendio minus nimisque siccam respositionem esse, egregie cadaveris sectio ostendit a Rossio (3) peracta, quam ideo fusius hic apponendam duco. Invenit vero ille in dextro cranii latere magnum extravasatum serosum, cerebri substantiam finesque nervorum mollissimos, in sinistro paulum tantum extravasati ac solito duriores partes: integumenta colli in dextro

---

(1) Ei. *fränk. Beiträge z. A. G.* 1783. n. 22. p. 130.

(2) L. c.

(3) Strambio's *Abhandl. üb. d. Pellagra, übers. u. m. Zus. v.* Weigel 1796. p. 281.

latere aqua impleta, in sinistro fere sicca, lymphatica dextri lateris vasa tam tenuia, ut vix continerent massam iniectam, dum in sinistri lateris vasa ne tenuissimo quidem siphone penetrare poterat: nervum intercostalem, vagum, brachialem etc. in dextro latere molles, in sinistro duros: in dextra thoracis parte hydropem, vasa lymphatica dilatata, in sinistra pulmonem pleurae adhaerentem nec ullum serum effusum: in abdomine hepar solitae quidem magnitudinis, sed iusto mollius, splenem ovi magnitudinis et corio similem, renem, ureterem, testiculum a dextra auctos, a sinistra abnormiter parvos: pedem dextrum oedemate tumidum, sinistrum fere exsiccatum. Alii octo aegri, quos, sicuti illum, cuius anatomica perlustratio modo relata praebuit, purpura, quam Allionius dicit, chronica confecerat, a Rossio dissecti plura horum exhibuerunt, sed non tam perfecta et generalia; in nonnullis sinistrum latus intumuerat, dextro siccato, in omnibus vero altera modo corporis dimidia hoc illove modo laborabant. In purpura hac, uti in pellagra Mediolanensi, cui quam maxime affinem a se descriptum morbum Allionius credit, nervorum affectus adeo excellit, ut a cerebro et nervis eam exire clari viri putaverint: gravissimum testimonium, quanta nervosi systematis in provocandis dimidiatis

cuiuscunque generis morbis sit dignitas, quantum momentum.

§. 67. Gangraenam denique dimidii hominis a Meza (1) observatam habemus. Oblatus enim ipsi est foetus, cuius dextrum latus, brachium scilicet, pectoris et abdominis ipsiusque scroti dimidiae partes et crus pesque totus mumiae ad instar exsiccata erant, indurata et nigra, dorsum vero totumque latus sinistrum naturaliter habebant. — Hic loci etiam afferre oportet, gangraenam nosocomiorum sinistras partes prae dextris potius afficere dici (2).

CAPUT V.

Morbi cutis.

I. *Pallor et rubor unius lateris.*

§. 68. *Pallet* ut plurimum hemiplegia solutum latus, pallent plerumque membra quae frigent, unde, quum frigoris dimidii corporis exempla non desint, etiam palloris dimidii hominis exempla haud deesse putes.

(1) Acta soc. med. Hafniensis. T. I. p. 141.

(2) Clerc diss. s. la pourriture d'hôpital. Strasb. 1812. p. 4. Aadiso l. c. p. 20.

§. 69. *Rubor* alterutrius solius genae saepius offertur, modo tanquam pulmonis vel hepatis morbi symptoma, modo inter varias illas molestias, quibus gravidae mulieres infestantur; nec non in aliis multis sanis hominibus alteram genam altera magis rubentem conspicimus. Verum et dimidii totius corporis cutem sanguinis per corpus circuitu aucto et accelerato ipsum rubrum laticem admittentem intenso rubore suffusum esse; raro exemplo observatum est. Schenkius (1) totum dextrum latus cuidam, quotiescunque balneum ingrederetur vel levi corporis motu uteretur, a fronte ad pedem insigniter rubuisse meminit, idemque pueri dextrum dimidium corpus a capite ad calcem usque, quoties ille incalesceret, rubore, madore et sudore perfusum esse, Clossius (2) et Sigwartus (3) referunt, sinistri lateris nec colore, nec calore ullatenus mutato, ita ut frontis, nasi, labiorum, menti etc. partes examussim dimidiatas versus dextram calidas, rubicundas, madidas, versus sinistram autem frigidas, pallidas, siccas conspicere liceret.

---

(1) Ei. observ. rar. Lib. V. obs. 5.

(2) Ei. spec. obs. miscell. novae variolis. med. meth. adiectum. obs. 23. p. 102.

(3) Ei. epist. Homo in singulari dualis. Cf. Barthez. nouv. élemens de la science de l'homme. Ed. II. 1806. T. II. Notes p. 39.

§. 70. Sunt, qui dimidio solo corpore sudent vel magis sudent altero dimidio quam altero, neque raro ii obviam feruntur (1). Utplurimum reperies, a prima infantia inde sudoris hunc modum adfuisse, raro, si profusiorem, quem hemiplegia affectum latus frequenter emittit (2), sudorem excipias, in vitae decursu demum supervenisse, serius ortum plerumque nonnisi capitis, rarius totius corporis dimidiam partem occupare. Thilenius (3) interim dextri lateris sudorem hepatitidis signum vidit, et Mangoldus (4) sudorem modo sinistri, modo dextri lateris mirum, sed praeteriens hypochondriasis symptoma in se ipso observavit. Ab incunabulis contra alterum modo latus insudavisse vel altero magis sudasse, diserte de suis aegris dicunt Francus (5), Hartmannus (6), Schmidius (7), Courmettius (8), idemque egomet

---

(1) Ledelius in Ephem. nat. cur. D. III. A. 2. obs. 52.
(2) Hoffmann. med. rat. syst. T. IV. P. IV. Cap. 1. obs. 8. epicr. — Wepfer. affect. cap. obs. 76. p. 264.
(3) Hufeland *Journ. d. pr. Heilk.* B. XVII. 1803. p. 90.
(4) Ei. opusc. phys. med. ed. Baldinger. 1769. p. 293.
(5) Ephem. nat. cur. D. I. A. 4 et 5. obs. 100.
(6) Ei. diss. de sudore unius lateris. Hal. 1751. §. 18.
(7) Ephem. nat. cur. D. II. A. 2. obs. 126. p. 287.
(8) Journ. de méd. T. 85. 1790. p. 43.

ipse de quatuor hominibus scio. Videntur imo hi sudores haereditario iure interdum a patre in filium transseri. Hartmannus scilicet, qui, quem ipse expertus est, dextri lateris sudorem in inaugurali dissertatione descripsit, nonnullos, qui proximo paterni sanguinis nexu sibi cohaeserint, etiam circa dimidium tantum corpus sudasse, adiecit; atque pari modo vir affinitate et amicitia mihi coniunctus sat copiosum et facillime excitandum unius lateris sudorem a patre recepit.

§. 71. Inter omnes frequentissime fere observari videntur, quorum dimidii corporis cutis, ad cutis faciei dignitatem quasi elevatae, exhalantia vasa reliquis receptivitate praepollentia facilius ad tantopere auctam actionem, ut emissus vapor in guttulas in superficie coeat, advocentur, ita ut hocce corporis latus altero semper et prius sudore madeat et copiosiorem fundat, altero licet nequaquam humoribus abnormiter praecluso, quin, praegresso illo, facile largeque sudante. Cuiuscemodi observationes etiamsi rarae in medicorum scriptis sparsae sint, nihilominus, quum a paucis annis studiis medicis imbuto mihi quater iam talis unius lateris maior ad sudandum propensio occurrerit eamque saepius observatam esse ab aliis audivisse meminerim, sat frequenter eam cerni, recte sustinere mihi videor. Revera autem

illam sudoribus unius lateris nonnunquam subesse causam, ni Clossii observatio, quam §. 69. accepisti, certe exempla quaedam demonstrant sudorum dimidii capitis, qui sola nervorum in lingua et ore dispersorum irritatione effusissimi eliciebantur. Alius enim ex altera tota gena magnas guttas stillavit, dummodo eidem linguae lateri, quod quasi excoriatum esse videbatur, paucillum salis immitteretur (1), alii, quotiescunque ad manducandum cibos, quiqui fuerint, mandibulas movit, neque unquam inter loquendum, etiamsi per longum tempus continuo locutus sit, tota gena regioque parietalis dextra largissimo sudore perfusa est, sinistra parum maduit (2); alii totius sinistri capitis sudor aderat, cui linea a medio larynge ad medium occiput producta accuratos fines imposuit, aestate et hyeme fere continuus, inter comedendum vero auctus et aromatibus, alliaceis, acidis praesertim effusissimus factus (3).

§. 72. Alia vice exhalantium vasorum in altera corporis medietate energia adeo labefactata est, ut humoribus solito paullum magis

(1) Mém. de l'acad. roy. des sciences. 1740.
(2) Journ. de méd. 1786. T. 68. p. 446.
(3) Ib. 1787. T. 73. p. 49.

versus ea congestis iam superentur sibique adductos, a quibus iusta elaboratione excrementitiae materiae separandae ac in athmospheram profligandae fuissent, pene integros emittant. Vegetatio tota plerumque ibi minus viget, unde temperies sudantium partium iusto minor est et, aeque ac sudor in cutis superficiem, in cellulosam interdum serum aufugit partesque oedemate tumefacit. Quo referas praesertim copiosiores hemiplegia vel torpore et stupore afflicti lateris sudores, referas memoratum sinistri lateris oedemate tumentis sudorem. Pertinet eo etiam Hartmanni sudor dextri lateris, qui iam moderatissima corporis agitatione et attenta animi meditatione excitatus celerrime in guttas coivit maximas atque frontis, nasi, menti, pectoris et omnis reliqui corporis partem exacte dimidiam frigentem simul ad attactum largissimo latice perfudit, sinistro latere raro, nisi summa fuerit sudatio; ultra madorem sudante et legitimo suo tempore temperato, dextrum eius caput insuper hemicrania frequenter laborabat, dexter oculus sinistro longe hebetior erat, dextram narem incessabilis occludebat gravedo et destillatio, ipsa lingua dextra sui parte veluti subnervata difficilius movebatur, universo lateri dextro, scapulae, femori et tibiae praesertim, continui incumbebant rheumatismi, et molesti praeterea saepe erant acuti

dextri pulmonis dolores insignesque ex dextro solum hypochondrio labores.

§. 73. Alii ab altero solo latere insudant, quia in altera corporis dimidia parte materiei perspirabilis exitus inhibitus vel ad totum fere praeclusus est, opposita modo solito non magis ad sudorem proclivi, modo quasi vicaria eo largius sudante. Illud a sudore immune latus frigidum ut plurimum remanet, dum alterum incalescit (1), unde certo iudicio colligimus, materiei animalis vicissitudinem in eo minus florentem et vividam esse: ipsisque aegris (2) ex nervorum cutaneorum incitatione, propter imminutum humorum ad cutem affluxum, iusto minore insignis frigoris sensus affertur. Pechlinus (3) se vidisse asseverat, ubi, altero latere copiosum sudorem emittente, alterum riguerit, neque stragulis iniectis, ut concalesceret, adduci potuerit; et femina, de qua Schmidius refert, ubi corpus a motu, vel calore externo vel assumto sudorifero calefactum est, per totum sinistrum latus sudorem profudit largissimum, dextrum vero latus ne

---

(1) Rommelius in Ephem. nat. cur. D. II. A. 10. obs. 194. p. 386.

(2) Id. ib.

(3) Obs. phys. med. Lib. II. obs. 52. p. 342. Cf. Theilenius *med. chir. Bemerk.* Th. I. p. 110.

madorem unquam emisit, nec in balneo calidissimo per diaphoretica maxime volatilia ad sudandum admoveri poterat.

§. 74. Ad hoc mirae aliquae sudorum unius lateris vicissitudines memorentur oportet. Schmidii enim aegra, quoties ex marito concepit, statim a conceptionis et hinc gestationis tempore utroque latere aequaliter sudavit, exantlatis vero partus laboribus eo ipso momento dextro latere iterum exsiccata est, adeo ut ipsi, quinque liberorum matri, totius corporis sudor infallibile conceptionis signum fuerit. Alia e contrario sudores tantum passa est dimidios, quotiescunque gestaret utero (1). Feminam deinde Rommelius (2) meminit, quae dextro lateri incumbens solo sinistro, sinistro incumbens solo dextro maduit. Quam ad rem recorderis, te supra legisse, ubi alterum corporis latus dum in id aegri devolverentur, tremeret (3) vel obstupesceret (4). Mangoldi denique sudori faciei sinistrae, a quo non, nisi quum effusissimus esset, reliquum dimidium corpus in consensum vocabatur, id peculiare erat, quod ab

(1) Hartmann. l. c.
(2) loco supra cit.
(3) §. 25.
(4) §. 57.

assumptione acrium raphanaceorum et acidorum vegetabilium piperatorum praesertim in latus dextrum concederet, nec, nisi magna eorum copia comederetur, universalis fieret: eidemque illi aliquando in paroxysmo hypochondriaco, quum in lecto a dextro latere versus sinistrum se moveret atque in eo cubaret, sudor, qui dextrum latus occupaverat, deseruit illud, et in sinistrum migravit.

§. 75. Praeter nervorum efficientiam nulla alia in corpore tantis vicissitudinibus obnoxia est et, in modo appositis exemplis nervorum variam incitationem varii sudoris causam fuisse, vix aliquis inficias ibit. Si vero cum hisce sudores dimidiae faciei §. 92. allatos comparamus: si capite pluribus nervorum cutaneis plexibus excellente nullam corporis partem dimidio suo latere sudore, vel modum excedente, vel praeter naturam deficiente, saepius laborare cogitamus: si earum partium, quarum nervi resoluti sunt, auctum sudorem perpendimus, nec praetermittimus, ab animi affectibus saepe totum corpus madore perfundi: vix possumus, quin persuasum habeamus, omnis sudoris dimidiati causam nervorum incitationem esse in utraque corporis dimidia parte differentem. Nec repugnat ei sudor a prima infantia in alterutro latere maior minorve, de fabrica enim et organisatione exhalantium vasorum diversa quin

cogitemus, vetat Schmidii aegra, cuius dextrum latus ab incunabulis sudori praeclusum, graviditatis tamen tempore non minus ac sinistrum sudavit. — Num autem sudor unum latus prae altero potius detineat, num suppressio eius ab uno latere praesertim contingat, ex iis casibus, qui obviam lati sunt, efficere non licuit.

III. *Icterus unius lateris.*

§. 76. Ictero etiam dimidium tantum corpus flavuisse, vel altera dimidia parte intensius tinctum fuisse, aliquoties observatum est. Quem affectum recte sub cutis morbis recensere mihi videor, quia nonnisi cutis vasculorum discrepans in utroque latere actio causa esse potest, quare carbonicum principium et bilis constituentes partes, quibus sanguis abundat, ab altera parte tantum vel magis ab una quam ab altera in rete Malpighii deponantur. Sed ut verbis fidem faciam, ipsas, quae exstant, observationes quam paucissimis apponam. Behrensius (1) hemiplegiae ex apoplexia, quam vehemens ira induxerat, relictae comitem vidit auriginem dextri corporis tam exacte dimidii, ut et narium dextra pars flaveret, sinistra naturalem

(1) Ephem. nat. cur. Cent. III. et IV. obs. 64. p. 145.

colorem retinuerit: intra quatuordecim dies valetudo senis omnino restituta est. Lanzonius (1) deinde, praegresso in dextro latere dolore gravativo, faciem ad guttur usque viridi, dextram corporis partem atro, sinistram flavo colore imbutam se observasse refert, aliquot diebus elapsis faciei viridem, dextri lateris atrum colorem in flavedinem transiisse, laevum latus autem atrum paullatim evasisse, post vigesimum diem unam totius corporis flavedinem fuisse, sensimque eam evanuisse. Tertiam observationem, eamque duobus hisce sane graviorem, Courmettio (2) debemus. Quem nempe vir consuluit, cuius dextrum corporis latus, sinistra parte omnino pro natura habente, a fronte ad calcem usque tam saturato colore, ut fere niger videretur, inquinatum pustulisque parvis valde dolentibus obsessum erat, recurrente praeterea per vices per totum hoc latus pruritu vix ferendo, pectoris praesertim et abdominis dextrae parti quam maxime infesto. Causam eius affectus aeger a diutino moerore gravique ira repetebat atque, alias etiam, retulit, ab irae insultibus dextrum latus prae sinistro longe intensiori flavedine tinctum fuisse.

---

(1) Ib. Cent. V. et VI. obs. 41. p. 61.

(2) Journ. de méd, T. 85. 1790. p. 44.

Ettmüllerum (1) praeterea dicunt de podagrico quodam retulisse, cuius nasus dimidius icteritium colorem tulerit.—Notandum est dextrum latus, cui hepar adiacet, illis in casibus praesertim fuisse, quod icterus invaserit, neque praetereundum, in primo hemiplegiam praecessisse, nec in Courmettii observatione nervorum insignem affectum defuisse. Hemiplegia resolutum latus saepius forsan flavide coloratum deprehenditur, Sauvagesius enim etiam aliquando sublutei coloris brachium paralyticum invenit, cuius summa macies summumque frigus erat.

IV. *Eruptiones cutaneae alterum latus prae altero afficientes.*

§. 77. Cutis variae efflorescentiae, impetiginum praesertim magna cohors, saepissime modo hoc, modo illud corporis latus prae altero magis defoedant: utri autem lateri quaeque earum magis infesta sit, de eo, praeter quae de zona et pemphigo infra indicabuntur, nihil neque apud autores inveni, neque ipse efficere potui. In hemiplegia resoluto latere et

(1) Citatur colleg. pract. in Oper. omn. T. II. p. 844, ubi autem huiuscemodi nihil reperi.

prius et longe maiore copia quam in sano exanthemata prorumpere, solers naturae observator Fr. Hoffmannus (1) auctor est, scabiemque et purpuram ex illis distincte notat. Quod quidem assertum quoad miliaria hemiplegicorum historiis et in ipsis Hoffmanni scriptis (2) et alibi (3) relatis eximie probatur, num autem et in reliqua valeat, quam maxime dubito. Gilbertus (4) interea de pemphygodibus vesicis refert, quae in solo sinistro latere hemiplegia resoluto et oedemate simul tumente, praegresso erythemate erysipelatoso, propullularunt et superveniente gangraena ex vita aegrum sustulerunt.

§. 78. Unum modo corporis latus tenuisse cutis efflorescentiae plures observatae sunt, et ita interdum, ut ad lineam corporis intermediam usque accesserint, eam vero non transcenderint. In scorbuto eiusque filia, ut dicit, scabie, unum latus ad perpendiculum maculis, pustulis ulceribusque foedari, altero immuni,

---

(1) Ei. med. rat. syst. T. IV. P. IV. Cap. I. obs. 8. epicr. p. 41.

(2) Ei. consult. et resp. med. P. I. S. I. cas. 20. p. 91. — cas. 24. p. 125.

(3) Allioni tract. de miliar. orig. et progr. p. 66. etc.

(4) Ei. monogr. du pemphigus 1813. p. 180.

Pechlinus (1) affirmat se non semel vidisse. Miliaria solius sinistri lateris et aphthas in sinistra praesertim oris parte efflorescentes Cournettius (2) veteris herpetis crustosi sinistri cruris detersionem insequi observavit. — Erysipelas phlegmonodes plerumque alteram modo faciei latus afficit (3), et vesiculosum praesertim saepe linea corporis intermedia exacte definitur. Tale, quod praeter palpebram dextram, frontis et cutis capillatae capitis accurate dextram partem iuxta suturam sagittalem ad nucham usque obsidebat, vidit Geunsius (4), sed zonae falso annumeravit, simileque viderant et alii (5). — Variolae saepius ab alio morbo corpus detinente uno in latere coercitae sunt. Sic alterum latus vehementi rheumatismo affectum alterum pustulis variolosis consitum aliquoties vidit summa pietate colendus Praeceptor, Ill. Himly. In simili casu a Pfündelio cum Ill.

(1) L. c.
(2) L. c.
(3) Bateman *Hautkrankh. nach Willan's System*, *übers. von* Hanemann p. 204.
(4) du Pui diss. de hom. dextro et sin. S. I. cap. 1. §. 6. p. 25.
(5) Vid. inter alia tria exempla a Carronio in Recueil périod. de la soc. de méd. de Paris. T. V. 1802. p. 163, etiam zonae sub titulo relata. — Cf. §. 81.

Hufelandio (1) communicato naturam per totum corpus variolarum eruptionem molientem, in sinistra autem faciei parte influenzae reliquiis nunc iterum crudescentibus a perficiendo opere impeditam egregie prosequi valemus: foedus adspectu puer fuisse dicitur, cuius faciei sinistra dimidia pars maxime tumida et pallida erat, dextra ad quadraginta pulchris plenisque variolis florebat. Variolarum et morbillorum contagiis in uno corpore convenientibus, ni alterum exanthema ab altero repressum post huius decursum demum efflorescit, pustulae et maculae intermixtim plerumque cutem obsident: interdum vere in corporis dimidiis partibus invicem sese cohibuisse observata sunt, ita ut alteram morbilli, alteram variolae occuparent (2). A quo parum distat Cozii (*) rara observatio, qui scilicet cuiusdam dextro brachio duos annos asservatum, sinistro ab aegroto recenter captum variolarum virus eodem tempore inoculavit, quo facto in dextro corporis latere vix duodecim, in sinistro tot effloruerunt pustulae, ut fere confluerent. Unum

---

(1) *Bemerk. über d. natürl. u. geimpften Blattern.* Ed. III. 1798. p. 23.

(2) Ettmülleri prax. med. Lib. I. c. X. Opp. ed. Mangetus T. II. p. 629.

(*) Ardieu l. c. p. 22.

duntaxat latus occupantes admodum densas variolas, dimidio corpore plane intacto aut summum unis alterisque pustulis variegato, Pechlinus (1) quoque semel vidit.

§. 79. Quin imo est aliqua cutaneae eruptionis species, quae ib sibi proprium habet, ut nonnisi alterutrum corporis latus afficiat, atque de ea paullo fusius nos diffundamus liceat. *Zonam* intelligo, zosterem, seu ignem sacrum sive St. Antonii, ut alii vocare amant. Pustularum in corymbos collectarum insulae, nunc admodum paucae, nunc numero multae, discretis phlyctaenis unis et alteris atque interstitiis omnimode liberis, saepe magnis interiectis ita plerumque dispositae sunt, ut fasciam costituant alterum abdominis vel thoracis latus plus minus ambientem, haud raro tali modo, ut, paucis liberis plagis duntaxat relictis, zona aliquot transversos digitos vel spithamam lata a linea alba aut medio sterno ad spinam dorsi perfecte dimidium truncum cingat. Nonnunquam autem etiam ab hac dispositione non parum deflectit zoster: ordine non exacte servato sparsim pustularum racemi distribuuntur, vel a trunco in artus extenduntur; raro nec

(1) L. c.

abdomen nec thoracem tangentes alias omnino partes obsident. Ab osse sacro ad umbilicum usque sinistrum trunci latus ambientem et super femore sinistro extensum ignem sacrum vidit Geunsius (1): ad genu usque descendentem Platnerus (2): inde a sterno per latus sinistrum ad dorsi spinam erumpentem, totam scapulam tenentem et usque super humeri mediam partem descendentem idem Geunsius (3) observavit: Reilius (4) ad interius brachii sinistri latus veluti fasciam decurrere. Ios. Frankius (5) antibrachii partem superiorem, veluti dimidium armillae, et alias (6) sinistri cruris dimidiam partem ambire vidit. Ita et Burserius (7) brachia et crura se vidisse ait hoc exanthemate correpta. In collo deinde a medio larynge ad mediam nucham excurrens I. Frankio (8) et Wichmanno (9) se obtulit.

---

(1) Observationes belgici medici van Geuns litteris secum communicatas du Pui dissertationi de homine dextro et sinistro inseruit: illam de qua agitur videas p. 24.

(2) Ei. instit. chir. rat. §. 186.

(3) du Pui l. c. p. 23.

(4) Ei. *Erkenntniss u. Kur der Fieber.* T. V. p. 395.

(5) Ei. praxeos med. univers. praecepta P. I. Vol. II. §. 41.

(6) Ei. act. instit. clin. Vilnensis. A. III. 1812. p. 22.

(7) Ei. instit. med. pract. Vol. II. p. 41.

(8) Ei. prax. med. l. c.

(9) Ei. *Ideen zur Diagnostik.* B. I. p. 70.

Nec ipsum caput immune ab eo esse HAENIUS (1) et FRANKIUS (2) nos docent, quorum ille sinistram frontem, palpebram et genam pustulis obsessas, hic retro aurem sinistram incipientem atque super genam ad dimidium nasum extensum zosterem vidit. MARCUS (3) imo de zona dimidium totum corpus occupante locutus est, raroque talem obvenire dixit: cuius vero penes alium nullum auctorem, quantum scio, mentio fit.

§. 80. Verum tamen, quaequae sint partes, ad quas exanthema, de quo agitur, efflorescat, eadem prorsus est pertinacia, qua alterutri tantum corporis dimidio laterali inhaeret, alterum non tangit, eaque tanta, ut HAENIUS (4), qui apud Batavos frequenter zonam vidit, perpetua lege ab anteriore parte nunquam lineam albam, nunquam a postica spinam transcendi affirmare non haesitaverit. Nec dissentiunt medici, qui postea de zona scripserunt, ad unum fere omnes. Idem pene, quod HAENIUS, ex propriis observationibus GEOFFROYUS (5) collegit.

---

(1) Thes. febr. divis. syst. p. 113.

(2) Act. instit. clin. Vilnensis l. c.

(3) *Entwurf einer speciellen Therapie* T. II. p. 213.

(4) L. c.

(5) Hist. de la soc. roy. de méd. 1777 et 1778. T. II. Mem. p. 27.

Nec aliter vidit, qui pluries zonam curavit BURSERIUS. In octo vel decem huiuscemodi aegris, quos GEUNSIUS observavit, constanter unum modo corporis latus affectum fuit, rarissime et anterius et posterius plagae herpetosae medium corpus transmearunt, ne vel digiti latitudinem. In certe duodecim WICHMANNUS circulum dimidium nunquam superante zona circumscriptum truncum vel collum vidit: in quinque COURMETTIUS (1): in quatuor I. P. FRANKIUS (2). Quibus superaddas MARCI et REILII testimonia certe magni facienda: atque, si lubet, singulas a HAGEDORNIO (3), BOUCHHOLZIO (4), TODIO (5) et GILBERTO (6), duas ab ALIBERTO (7), tres a HUFELANDO (8), et ALBERSIO (9), quatuor a GULBRANDO (10), quinque a SCHEIDEMANTELIO (11) relatas historias.

---

(1) L. c. p. 34. 36.
(2) Ei. de cur. hom. morb. Lib. III. p. 44.
(3) Ephem. nat. cur. D. I. A. 3. obs. 215.
(4) HUFELAND *Journ. d. pr. Heilk.* B. VIII. St. 3. p. 177.
(5) *Klinische Berichte. Heft.* I.
(6) L. c. p. 320.
(7) Ei. précis. théor. et pract. sur les mal. de la peau 1810. p. 286.
(8) Ei. *Bibl. der pr. Heilkunde.*
(9) DUNCAN annals of. medic. 1801. Lustr. II. Vol. I. p. 382.
(10) Act. reg. soc. med. Hafn. T. I. obs. 11. p. 142.
(11) L. c. n. 33. p. 182.

§. 81. Prius quam ulterius procedamus, scire opus est, numne zona con cutanea aliqua eruptione praeter ita definitam sedem omni ratione conveniat, ideoque pro sola eius varietate habenda sit. Quod vero non ita esse, sed ab iis quoque exanthematibus, quibus prae ceteris maxime affinis est, tam constantibus sibi, quam gravibus signis circinum disiungi, cum Burserius, tum Wichmannus, tum Reilius, viri in morborum diagnosi summe excellentes, aliique probarunt. Quae cum ita sint, iam gravis quaestio obiicitur, num vere absolutus morbus dimidiatus zoster habendus sit. Esse fere putem. Legimus quidem apud Plinium, ignis sacri plura esse genera, inter quae medium hominem ambiens zoster appelletur et enecet, si cinxerit. Sed num talis genuinae zonae eruptio unquam visa sit dubiis quam gravissimis premitur. Tulpius (1) aliique pauci, qui veram zonam satis bene describunt, circulum eam raro admodum absolvere innuunt quidem, verum ex Plinii auctoritate, ipsi non viderunt. Adolphus (2) se vidisse affirmat, at, quem describit, morbus non nostrum exanthema est, sed erysipelas vesiculosum fasciam

---

(1) Observ. med. Lib. III. obs. 44.
(2) Acta nat. cur. Vol. X. obs. 9.

palmae latitudine totum corpus circumdantem mentiens, cujus plane simile exemplum nuper Ios. Frankius (1) divulgavit, a zostere accurate distinxit. Quo cum erysipelate quum, usque dum a Burserio et Wichmanno diagnostica signa accuratius definita essent, saepius zona confusa et vel ipsis hisce nostris diebus a Carronio permixta sit, simile quid, ac Adolpho, Brechtfeldis (2) quoque accidisse puto, qui zosterem totum ventrem fascia ambientem simulque tibiam aggressum se observasse refert. Eo usque rediit confusio, ut Schulzius (3) erysipelas, quod mox post accessum deserit locum et ad alium transmigrat, pro zostere habuerit. Vides itaque, quanta illius temporis historiolis, ni fusior descriptio alia edoceat, fides habenda sit, intelligis, quanti aestimanda sint, quae Langius (4) de zostere ab umbilico ad genua corpus ambiente, Rauus (5) de tali a malleolis per utrumque femur ad hypogastrium usque extenso protulerunt. Nec melioris notae aliae illius aevi huiuscemodi observationes sunt, quae perrarae exstant. Batemanus

(1) Acta instit. clin. Vilnens. l. c.
(2) Th. Bartholini acta Hafn. 1671 et 72. obs. 198.
(3) Ephem. nat. cur. D. I. A. 3. obs. 4.
(4) Epist. medecin. Lib. I. Ep. 34. p. 110.
(5) Acta nat. cur. Vol. X. obs. 25.

zosterem totum corpus cingentem asseverat TURNERUM (1) saepius observasse, qui vero cum aliis cutis eruptionibus nostra omnino confudit, nec diserte quidem illud dixit. Recentiorum nemo, quantum sciam, zonam utrumque corporis latus ambientem vidit. Neque tamen inficias ibo, quod non aliquando talis accidere possit; initium enim ejus aliquod esse videtur memorabilis casus ab ALBELSIO (2) observatus, quo zonae sinistrum thoracis latus a sterno inde cingentis postrema plaga palmae latitudine spinam dorsi superavit. BATEMANUS (3) quoque, qui, ad 30 vel 40 zonae casus se sibi obtulisse, asseverat, pustularum insulas ab antica parte aliquando vidit supra lineam albam extensas; num autem non magis transcenderint, ac GEUNSIO quandoque visum est, ne vel digiti latitudinem, an ulterius processerint, minime exponit. Id autem saltem appositis effectum esse putes, rarissime zonam in utrumque corporis latus extendi atque, quum pene nullam legem natura nobis offerat, a qua non aliqua exceptio quandoque obveniat, morbum absolute dimidiatum revera dicendum esse.

---

(1) Diseases of the skin. Chap. 5. p. 80.
(2) L. c.
(3) L. c. p. 341. nota 247.

§. 82. Modo a solito omnino recedente Jos. Frankius zonae peculiarem indolem in eo ponit, quod constanter unum partis affectae latus cinguli instar ambeat, abdomen v. g. a linea alba ad spinas vertebrarum vel ab una ad alteram cristam ossis ilei, brachium veluti dimidium armillae etc. Singularis haec esset circini pertinacia, eaque ex corporis natura haud ita facile vel omnino non explicanda. Quo minus accipiatur, etiamsi a tanto tot tantorumque virorum consensu in aliter statuendo plane abstrahatur, gravia obstant. Saepe enim zosteris exanthema circulum dimidium non absolvit, sed per singulas tantum aliquas, licet fasciae in modum dispositas, plagas erumpit (1), quin unica insula absolvitur (2); Geunsius deinde humeri totam circumferentiam ambiens vidisse videtur, nec ullus, quantum sciam, de zona ab altero osse ilei ad alterum excurrente refert, nec ipse Frankius quum nullibi eiusmodi exempli mentionem faciat, talem observasse videtur.

§. 83. Iam vero quaestio habenda est, quid causae subsit, ut adeo constanter uno in latere se contineat zoster atque ad medium corpus

---

(1) Schreidemantel l. c.

(2) I. P. Frank l. c. p 44: sola ossis ilei regio ad palmae latitudinem innumeris pustulis obsita.

accedens linea ibi corporis intermedia plerumque exactissime definiatur. Ardor, dolor, fugacium punctionum sensus, qui in cutis parte affecta aliquibus diebus eruptionem eius praecedunt, dolores saevi, deinde et aestus vix tolerandus, quantos in nulla cutis alia efflorescentia deprehendimus, et qui ignis sacri nomen intulerunt, per eruptionem totumque exanthematis decursum aegrotos excruciantes, gangraena etiam haud raro exulcerantibus partibus superveniens, clare demonstrant, quantopere in hoc prae ceteris omnibus exanthematibus cutis nervosae partes aegrotent, quantam totius affectus partem nervi suscipiant. Quae quidem viam nobis ostendunt, quae ad revelandam forte veram mirae illius indolis rationem ineunda est. Supra vidimus, nervorum morbos, ni omnino generalis affectio ad eorum naturam pertineat, quam saepissime alterum modo latus affligere, omniaque symptomata, quae ex solorum nervorum affectu fluant, ni utrumque latus simul aegrotet, medium corpus nunquam transire. Ex quibus, ut opinor, recte colligitur, nervorum dimidiatam dispositionem esse, quae dimidiatam zosteris apparitionem efficiat, nec inepte coniicitur, a solis nervis hic exire vasorum cutis affectionem. Aeque ac hemicrania et prosopalgia nunquam trans lineam corporis intermediam proiiciuntur, zona,

si pustularum insulas propter vasorum anastomoses lineam albam et spinam dorsi paucis lineis raro superantes excipis, nunquam ab altero corporis latere in alterum transmigrat. Dolores illi tantum non semper unum modo latus afficiunt: ita et zoster, eo tamen discrimine, ut illi interdum simul et alterum latus levius affligant, hic fere nunquam ab utroque latere simul erumpat; cuius rei causa in eo forsan posita est, quod partim zona tanquam acutus morbus brevi tempore absolvitur, partim levior nervorum in altera parte affectus eo ciere vasorum actionem non valet, ut exanthema efflorescat.

§. 84. Ex iisdem magnis partibus, quas nervi in zona agunt, aliae quaedam dispositionis eius proprietates haud incongrue explicantur, quo, nervos esse, qui in corpore dimidio tam constanter eruptionem coerceant, valde confirmatur. Minime enim in dubio positum est, eorum viscerum, quibus praeter cutem officium est corpore educendi processus vitalis residua, veluti hepatis, lienis, renum, pulmonum, turbatae actioni magnam potentiam esse in provocandos morbos cutaneos. In zona autem praesertim viscerum vitia quam maxime respicienda esse eo convincimur, quod non iunior aetas, qua vegetatio maxime floret, ei imprimis obnoxia est, sed provectioris aetatis plerumque

aegroti sunt, iique dudum cachectici et in quibus nunquam fere non prava quaedam humorum temperies maior minorve praecessit (1). Reilius (2), qui cum Braunio (3), pluribus adstruere conatus est, pemphigum ab urinae turbata secretione praesertim excitari, eamque rem sane probabilem reddidit, zonae quoque, pemphigo affinis, causam saepe in systematis urinarii vitio positam esse, suspicatus est et ad confirmandam suspicionem, virum quendam eodem anno plus centum calculos excrevisse et zona affectum fuisse, retulit. Qua in re vero Darwinus (4) eum praeivit. Non autem solos renes accusandos, sed systematis venae portarum etiam, quin ipsorum pulmonum magnam rationem habendam esse ex eo intelligimus, quod nonnulli vetustiores medici (5) tamquam

---

(1) van Geuns in Du Pui diss. etc. l. c. — Gulbrandus l. c. — Reil *Kur und Erkenntniss der Fieber* T. V. p. 399. et alii; non tamen praetereundum est, Batemanum (l. c. p. 344.) affirmare a 12 ad 25 annos natos adolescentes prae ceteris zonae obnoxios esse.

(2) L. c. p. 424.

(3) Ei. *Versuch über den Pemphigus u. das Blasenfieber.* p. 59.

(4) Ei. *Zoonomie, übers. v.* Brandis. *Th.* II. *Abth.* I. p. 509. *Abth.* II. p. 57.

(5) Hagedorn. in Ephem. nat. cur. D. I. A. 3. obs. 215. p. 397, ubi citatur: Hayne *von den tartarischen Krankheiten* p. 111. 113. — Ettmüller colleg. pract. L. I. S. 18. Cap. 1. Art. 10.

hepatis vel lienis inflammationis symptoma cutaneam eruptionem nobis descripserunt, quam zonam nostram esse, facile agnosces: quod Gulbrandus quatuor in casibus hepatis et pectoris dolores et tussiculam eruptione eius solutos vidit: quod nonnulli zonam graves irae insultus consequentem observarunt (1). Quae autem quoque se habeant modo, sympathicus nervus vinculum est, quod cutem cum illis visceribus connectit intimamque eorum conspirationem ad unum magnum finem servat, et per eum in zona ab illorum vitio nervis cutis morbus inferri videtur. Sympathicus autem cum intercostalibus prae reliquis nervis systematis cerebralis, qui cutem adeunt, intime connexus est, unde esse putes, quod zona truncum fere semper invadat, raro admodum hoc intacto omnino alias partes occupet. Nervorum intercostalium deinde et lumbarium superiorum decursus et dispersio in cutem rationem suppeditat, cur zosteris pustularum insulae tantum non semper eo ordine circa thoracem vel abdomen dispositae sint, ut fasciam referant, saepe integro cingulo dimidium truncum circumdent: exacte enim zona nervos illos a

(1) Bateman l. c. p. 345. not. 252.

spina ad sternum et lineam albam progredientes legere videtur. Nec non ex transitu affectus a nervo sympathico ad intercostales fluere videtur, cur prius ut plurimum dorsum versus quam prope lineam albam postularum corymbi erumpant (1).

§. 85. Quod tandem ad latus attinet, quod prae altero zoster potius afficere solet, REILIUS, qui 4 eius casus in memorabilibus clinicis descripsit et aliorum in tractatu de febribus meminit, a laevo latere se eum fere semper observasse affirmat (2); idemque latus esse, quod in universum zonae prae altero magis obnoxium sit, eo probatur, quod inter 25 huiuscemodi observationes, quibus indicatum est, quodnam latus affectum fuerit, apud varios auctores mihi obviam latas, in 16 in sinistro, in 9 tantum in dextro latere exanthema effloruerat. Unde ita sit, difficilius eruendum videtur. Sinistro lateri adiacens aliquod viscus, veluti renem sinistrum, lienem, frequentius aegrotans in sui vicinia frequentius zonam excitare suspicari posses. Fere probabilius autem accipere videmur, eandem nervorum in sinistro latere maiorem mobilitatem,

---

(1) DARWIN l. c. — REIL l. c. p. 393.
(2) L. c. p. 393.

qua hysteria et scelotyrbe hocce frequentius infestatur, et hic subesse.

§. 86. Uti zona, ita et pemphigus sinistro lateri magis infestus esse videtur. Pfeilius (1) enim asseruit, in brachiis plerumque, et in sinistro praesertim, primas ampullas elevari, assertumque tribus casibus probare student a se, Christio et Braunio observatis, quorum postremus ob id quoque memorandus est, quod per totum morbi decursum multo plures ampullae in laevis quam in dextris corporis partibus numeratae sint. Tribus hisce quartus omni respectu similis se adiungit, Wichmanno (2) visus, unicus tamen, quem multarum huius generis historiarum a Giliberto (3) congestarum et ab aliis relatarum haud paucarum inspectio mihi suppeditavit. Casum, quo a dextro brachio morbus inchoaverit, non legi: alium tamen Braunii casui apponendum, in quo in pede dextro primae ampullae ortae et postea plures semper in dextro latere quam in sinistro numeratae sunt. Pemphigus pedum oedemati superveniens bis observatus est solum sinistrum pedem infestans et supra de pemphigo

(1) L. c. p. 416.
(2) Ei. *Kleinere Schriften.*
(3) Ei. monographie du pemphigus. Paris. 1813.

nonnisi sinistrum latus hemiplegia resolutum occupante dictum est. Praeterea quam maxime digna, quae memoriae tradatur, est pemphigi eruptio, qua, zonae exanthematis ad instar, in fasciam collectae vesicae sinistrum thoracis latus cingulo circumdederunt. In longe plerisque autem casibus non indicatum est, num ab altero latere eruptio inceperit, nec num alterum latus magis afflictum fuerit. — Reilius quaestionem proiecit, num cordis vicinitas sit, an sinistri renis frequentior affectio, quae efficiat, ut sinistrum latus magis afficiatur. Pro posteriori saltem pugnat, in Braunii aegro vesicularum eruptioni apertum nexum fuisse cum urinae turbata secretione, sinistrum renem autem praesertim vel solum affectum, itemque sinistrum corpus maiori ampullarum numero obsessum fuisse; atque si magis evincetur, in renum vitio praecipuam pemphigi causam positam esse, hoc pro vero accipere haud absonum videtur.

V. *Involucri linguae dimidiae partis affectus.*

§. 87. Sub fine morborum cutis dicendum esse censeo, linguae (1) involucrum etiam,

(1) Ipsius linguae alteram dimidiam partem nonnunquam ad motum vel sensum resolvi, altera secunda valetudine fruente,

quod cuti continuatum et aliquatenus saltem pars eius habendum est, nonnunquam ad dimidiam tantum sui partem affici. Dimidiae linguae asperitatem et albedinem tanquam pneumoniae in respondente pectoris latere haerentis signum HIPPOCRATES (1) affert et BURSERIUS (2) confirmat. BORDEUS (3) quoque se saepius observasse refert, eo in latere, quo dolores pectoris sentirentur, eam usque ad perfectam morbi maturationem colorem fuscum servavisse, quo tempore tandem materia cocta et mucosa tegeretur. Dimidiam PORTALIUS (4) haud raro sordidam vel aridam vidit, BENEDICTUS (5) in vitio lochiorum per plures dies nigrescentem invenit, ac DU PUI (6) nigredine eo in latere inquinatam deprehendit, in quo capiti et maxillae superiori dolor fixus molestus erat. — Papulis quoque et aphthis interdum

---

§. 15. commemoratum est, omissum autem, spasmos etiam (DE HAEN. rat. med. P. III. p. 103.), dolores (Id. ib.) ac pruritum (WEPFER. affect. cap. obs. 152. p. 735.) interdum nonnisi alterum latus occupare.

(1) Ei. coac. n. 400.

(2) Ei. inst. med. pract. Vol. IV. §. 106. p. 108.

(3) Ei. recherches s. le tissu muqueux 1767. p. 179.

(4) Ei. anat. méd. T. IV. p. 58.

(5) SCHENKII obs. med. lib. I. obs. 385.

(6) L. c. p. 9.

lingua occupatur nonnisi dimidia (1); earum sinistrum linguae et cavi oris latus prae dextro multo magis obsidentium exemplum §. 78. legisti. — In appendicem hic loci afferre liceat, WEPFERUM (2) aliquando in hemiplectico faucium dimidiam partem albicantem vidisse.

CAPUT VI.

Morbi pilorum et unguium.

§. 88. RAVATONUS (3) post capitis vehementem commotionem amaurosin oculi dextri oriri atque capillos, supercilia et cilia huius lateris candescere et denique defluere vidit.

§. 89. Ungues KELLNERUS (4) observavit apud iuvenem quendam hemiplegia dextri lateris laborantem hoc in latere non amplius crescere, nec morbo praeterlapso iterum crescere.

CAPUT VII.

Morbi systematis lymphatici.

§. 90. Lymphatici etiam systematis affectus repetunt nobis corporis ex duabus dimidiis

---

(1) PORTAL. l. c.

(2) L. c. obs. 170. p. 820.

(3) ARNEMANN *Versuche üb. Gehirn. u. Rückenmark* p. 131. Citatur RAVATON tr. des playes d'armes à feu. Ch. I. Sect. 2. obs. 5.

(4) Acta nat. cur. Vol. IV. obs. III.

partibus compositionem. Scrophulosus enim morbus nonnunquam alterius modo lateris glandulas pervadit ac tumefacit, in alterum latus minime transit, quo eodem ex parte etiam oedema et atrophiam unius lateris atque salivationis unius lateris exemplum, quod paragrapho sequente habebis, referas. Rarius vero, et omnes productionis morbi, quorum haud magnam partem nervorum vitiata efficientia suscipit, hi in corpore dimidio coercentur. — Scrophulae sinistris partibus prae reliquis infestae esse dicuntur (1), cuius rei ISENFLAMMIUS (2) quoque testem se sistit, glandularum cervicalium tumores frequentius sibi in sinistro latere quam in dextro occurrisse referens. Investigandum erit, num variis morbis hac in parte totum systema lymphaticum crebrius afficiatur, cui rei ex oedemate in sinistro latere, uti supra attuli, saepius maiore et pertinaciore veritatis haud exigua species accedit.

---

(1) ARDIEU l. c. p. 12.
(2) Id. ibid. p. 20.

CAPUT VIII.

Morbi glandularum salivalium.

§. 91. Quum morbus mercurialis praesertim aucta glandularum salivalium secretione exseratur, hic loci rarorum illorum a Bergio (1) et Richerandio (2) observatorum casuum mentio fiat, quibus ex unguento hydrargyri uni modo lateri infricto hoc solum infectum esse videbatur. In posteriore solae sinistrae glandulae intumuerunt salivamque fuderunt, linguae sola sinistra pars aphthis effloruit; in priore capitis nonnisi dextra pars doluit, dentes utriusque maxillae in dextro latere duntaxat vacillarunt, saliva a dextro solum palati latere profluxit, membrorum dolor in dextro latere ursit, sinistro plane intacto relicto.

§. 92. Parotidum tumores, qui malignis febribus superveniunt, si non, ut plerumque fit, simul ad utrumque latus oriantur, multo saepius ad sinistrum exsurgere quam ad dextrum, Monteggia (3) auctor est, cui non paucos eorum observandi amplum nosocomium

---

(1) Commerc. litt. Nor. 1742. p. 17.
(2) Ei. élémens de physiol. T. I. p. 272.
(3) L. c. p. 13.

occasionem praebuit. Quaerit (1) ipse, num dextra parotis frequentiore in hanc partem decubitu diu compressa angustiorem forsan firmioremque structuram adipiscatur, ita ut criticae morbosae materiei irruptioni magis altera resistat, an potius ex retardatione, quam ex venae iugularis sinistrae sub recto fere angulo in subclaviam insertione, dextra ferme directo in cavam influente, sanguis a sinistro capite descendens capiat, frequentior huius lateris glandulae inflammatio deducenda sit. Hanc sanguinis retardationem minoris dignitatis esse Sect. III. probabitur. Consuetudini autem illi, quae vere plerisque est hominibus, in dextro latere cubandi, etiamsi modus, quo ad exponendam suam thesin Monteggia ea utitur, recentiorum medicorum neminis forsan assensum ferat, sufficientem eius rei causam inesse quisque consentiet; qui ea sinistram glandulam refrigerationi magis expositam esse cogitaverit.

CAPUT IX.

Morbi oculorum.

§. 93. Isenflammius (2) asseverat, se sinistrum oculum saepius in universum quam

(1) L. c. p. 22.
(2) L. c. p. 17.

dextrum variis morbis affectum vidisse, cuius rei autem in causam antequam inquiri potest, scire opus est, num in singulos quosque oculorum morbos id valeat, an forsan eorum aliqui dextrum oculum potius aggrediantur. Idem referri dicit cataractam crebrius a sinistra occurrere, quod vero etiam et ulterius a viris, quibus plurimos huiusmodi aegros observandi potestas est, confirmandum et quoad varias cataractae species strictius definiendum esse videtur. — Laevum oculum in variolarum primo stadio magis prae dextro lacrymas fundere Rosensteinius (1) auctor est. De ratione, qua ita fieri videtur, infra dicam.

§. 94. In plerisque myopibus dextrum oculum magis sinistro myopem esse Warius (2) affirmat, atque ex eo repetit, quod qui eorum singulo vitro oculari utantur, dextro oculo id obiicere soleant. Isenflammius (3) vero e contrario dextri oculi multis hominibus maiorem aciem esse contendit.

---

(1) Ei. *Kinderkrankheiten*, *übers. von* Murray 1774. *Abh.* 12. p. 136.

(2) James Ware *Beob. über Kurz- u. Fernsichtigk. in* Gilberts *Annal.* 1816. N. 21.

(3) L. c. p. 12.

CAPUT X.

Morbi pulmonum et pleurarum.

§. 95. De discrimine quod, quoad pulmonum pleurarumque inflammationes, utrumque corporis latus intercedat, rei medicae scriptores non parum ab invicem dissentiunt. De eo tamen reperies inter plerosque constare, quod in dextro thoracis latere frequentius inflammatio gignatur, quam in sinistro. Cuius rei enim testes nobis se sistunt et HALESIUS (1), et, qui prae ceteris in pleuritide accurate observanda operam posuit, TRILLERUS (2), et SWIETENIUS (3), qui ex satis numerosarum pleuritidis historiarum collatione ita esse se comperisse scribit, et MONTEGGIA (4), et HILDEBRANDUS (5), pariter ex propria observatione veriorem illam sententiam statuentes: quibus addas, quod ex pleuriticorum septuaginta dextro latere fere sexaginta sex doluisse SAUVAGESIUS (6)

(1) Ei. haemastatice. — NICOLAI *Pathologie* T. III. p. 81. §. 210.
(2) Ei. comment. de pleuritide p. 4.
(3) Ei. comment. in Boerh. aphor. T. III. ad aph. 877. p. 7.
(4) Ei. fascic. pathol. p. 12.
(5) *J. Fr.* OSIANDER *Nachrichten v. Wien.* 1817. p. 16.
(6) Cf. DOVE diss. de pleuritide. Edinb. 1771. p. 20.

observaverit, et inter sexaginta qui eodem tempore decubuerint ex latere dextro quadraginta duos aegrotasse CLEGHORNUS (1) nobis auctor sit. Praeterea sinistri lateris pleuritidem atrociorem plerumque esse, quam dextri lateris, LOMMIUS (2) atque TRILLERUS (3) asserunt, in eo tamen dissidentes, quod ille sinistrae pleurae inflammationem citius maturescere ac solvi dicat, hic contrarium sustineat. Sed liceat TRILLERI, qui in quam plurimis aegris diligenter illud se observasse, nec unquam se fefellisse augurium ait, ipsa apponere verba. « Pleuritis, inquit, dextrum ut plurimum latus obsidet et tum benignior est. Sinistrum vero rarius adoritur, ubi autem contingit, tum in atrocius discrimen adducuntur aegroti et morbus diutius durat, contrarium licet statuentibus RUFO, RHASO et AVICENNA. » BONTIUS (4) e contra in dextro latere pleuritides exquisitas magis oriri affirmavit, et iam vetustorum medicorum alios dextri, alios sinistri dolorem habuisse peiorem, ex CAELIO

---

(1) Ei. observ. on the epid. diseases in Minorca p. 244.
(2) Ei. observ. medicin. Lib. II. p. 120.
(3) L. c. cf. p. 160.
(4) Ei. observ. ex dissect. cadav. obs. 4. Cf. BONETI sepulcr. anat. Lib. II. Sect. VIII. obs. 40.

Aureliano (1) intelliges. Nec inter recentiores desunt qui in dubium vocaverint (2) assertiones illas, vel penitus eas evertere studuerint. Wendtius (3) sinistrum latus dextro inflammationi magis obnoxium non esse exinde se cognovisse scribit, quod inter septuaginta tres, quos pleuritide detentos viderit, triginta octo de dextri, triginta quinque de sinistri lateris dolore conquesti sint: nec periculosiorem et graviorem sinistri pectoris dolorem se deprehendisse, adeo ut illorum, qui e dextrarum partium inflammatione interierint, numerus uno adhuc superaverit numerum eorum, qui a sinistris haerenti morbo succubuerint. Uti huic, item Frankio (4) et Vogelio (5) nec in sinistro frequentius quam in dextro pulmone inflammationem contigisse nec ex una quam ex altera pericula maiora fuisse visum est. Neque Portalio (6) observationes, quas instituit, maiorem aliquam in altero latere prae altero pneumoniae frequentiam exhibuerunt.

---

(1) Ei. acut. pass. Lib. II. Cap. 14.
(2) Nicolai l. c. p. 211. Cullen *prakt. Arzneiwiss.* Th. I. §. 331. p. 218.
(3) Ei. diss. observ. sist. de pleurit. et peripneum. Goett. 1762. p. 30. 31.
(4) Ei. de curandis hom. morb. Lib. II. p. 132.
(5) Ei. *Handbuch der pr. Arzneiwissensch.* T. IV. p. 252.
(6) Ei. anat. médicale. T. V. p. 66.

§. 96. Morgagnius (1), qui pleuritidem a dextris frequentiorem et mitiorem ipse ratam habuisse videtur, eorum, quae e thoracis inflammatione interierint, anatomicam perquisitionem non congruere observavit cum hac laterum differentia, habuisse enim inflammationem inter 31, quae Valsalva, et 21, quae ipse recluserit huiuscemodi cadavera, sepositis iis, in quibus utraque pars inflammata visa sit, reliquorum totidem fere a sinistris, quot a dextris. Quae vero Trilleri ceterorumque assertionem, tantum abest, ut omnino refutent, ut potius fere confirmare videantur: in gravius enim periculum ex rariore sinistrarum partium inflammatione aegros adduci contenderunt, et hinc putes Valsalvae et Morgagnio ita accidisse. Quodsi autem, quem illis vita animatum corpus exhibuit, inflammationis crebriorem in dextra thoracis parte proventum, in mortuo confirmatum videre volumus, eos etiam respicere oportet, qui vel phthisi pulmonari perierunt, vel longe alio morbo confecti pleuras et pulmones ex priore inflammatione vitiatos exhibuerunt. Vere autem eum confirmari sequentia docebunt.

---

(1) L. c. Ep. 20. n. 16.

§. 97. Primo loco animum attendam in pleurae abnormes adhaesiones, ex quibus inflammationem quondam adfuisse certo iudicio colligimus. PORTALIUS (1) quidem, uno in latere frequentius quam in altero, pulmones vicinis partibus accretos inveniri, ex suis observationibus affirmare non audet: BONTIUS (2) tamen in plurimis quos aperuerit, nunquam sinistrum lobum solum adnatum se vidisse contendit, sed vel utrumque vel dextrum. Quod quin omni ambitu verum sit, etiamsi experientia contradicat, in eo tamen, quod dextro in latere frequentius pulmonum adhaesiones secantibus obviam ferantur quam in sinistro, re vera recte BONTIUM vidisse, et GREDINGII (3) numerosissimis cadaverum extispiciis et ipsis VALSALVAE et MORGAGNII dissectionibus confirmatur. Quas enim si in unum confero, addoque illas, quas PORTALIUS (4) et BROUSSAVIUS (5) publici iuris fecerunt, aliasque

---

(1) Ei. observations sur la phthisie pulm. Ed. noviss. 1809. T. II. p. 344.

(2) L. c.

(3) LUDWIGII adversaria med. pract. T. II. p. 637. sqq. Cf. J. E. GREDING *sämmtl. Schriften, herausgeg. v.* C. W. GREDING B. I.

(4) L. c. T. I. et II.

(5) BROUSSAIS hist. des phlegmasies ou inflammations chron. 1808. T. I. et II.

nonnullas, reperio, 117 in casibus dextrum; in 79 sinistrum pulmonem vel solum vel altero multo magis saltem cum pleura costas succingente connexum fuisse. Fortuito igitur accidisse videtur, ut ex multo minori sectionum numero VESALIUS et SINOPEUS, uti ex HALLERO (1) intelligo, sinistro in latere frequentiora pulmonum vitiosa ligamenta et adhaesiones repererint.

§. 98. Quodsi deinde ipsorum pulmonum conditionem, qualem modo nominatis summis viris multa illa, quae reclusere cadavera, exhibuerunt, considero, itidem dextrum pulmonem sinistro frequentius in universum vel solum vel altero longe gravius aegrotasse, reperio. Quod ita esse iam COÏTERUS (2) cognovit: « alio tempore, inquit enim, deprehendi in phthisicorum thoracis capacitate dextra, quae maiori ex parte his malis obnoxia est, pulmonem vel corruptum vel absumptum, eumque in ea capacitate aqua plena natantem. » Induratio praesertim pulmonaris substantiae, quae ex mero contextu celluloso conflata videtur, quin carnis speciem refert hepatisque

(1) Ei. elementa physiol. T. III. Lib. VIII. Sect. II. §. 2. p. 122. Citantur VESALIUS p. 710. et SINOPEI parerg. med. p. 26.

(2) Ei. observ. anat. et chirurg. Cf. BONETI sepulcr. anat. Lib. I. Sect. VII. obs. 40.

parenchyma aemulatur, multo saepius a dextris deprehensa est, quam a sinistris. Ita et suppuratio varia, sive multi parvi puris fomites per pulmonem sparsi fuerint, sive maiores vomicae eum excavassent, dextrum prae sinistro frequentius infestavit, illaque exempla, ubi alterius lateris lobi suppuratione ad totum fere exesi atque consumpti erant, a dextris praesertim fuerunt. Ingentes tamen abscessus in sinistro frequentius reperti sunt ac in dextro superiore lobo, ita ut ex eo etiam appareat, sinistrum pulmonem ad acutam magis inflammationem propensum, dextrum chronicae magis obnoxium esse, eidem tamen, quo lentius procedat, certius omnia depravanti atque vastanti. Impeditior paulo res est quod ad tubercula pulmonum attinet: ea enim sinistros lobos frequentius in universum intercipere, dextro vero in latere saepius pure plena reperiri videntur. Illud, si cum Portalio pro glandulis lymphaticis auctis habenda sint, cum glandularum cervicalium sinistri lateris frequentiori intumescentia (1) conveniret.

§. 99. Aquam Isenflammius (2) magis semper in sinistrum thoracis cavum effusam in

---

(1) Vid. §. 90.
(2) L. c. p. 17.

cadaveribus vidit quam in dextrum idemque in aliis, qui ad sanitatem redierunt vel quos mortuos secare non licuit, ea symptomatibus se cognovisse putat. Quam amborum laterum differentiam etsi PORTALIUS (1) non agnoscat et nullam esse ex MORGAGNII et LIEUTAUDII operibus, dummodo evolvamus, intellecturos nos esse asserat, eiusdem tamen MORGAGNII epistolis anatomico-medicis eximie probatum videmus. Conferens enim cadaverum extispicia, quae in iis recensentur, illaque GREDINGII adiungens, in 68 cadaveribus in sinistro, in 44 tantum in dextro thoracis cavo vel multo plus seri quam in altero accumulatum fuisse, vel in eo solo deprehensam aquam esse, cognovi: simulque didici aquae magnam copiam in sinistro latere multo saepius absque pulmonum gravi labe offendi quam in dextro, in hoc, ut COTTERUS iam innuit, plerumque fere cum ea coniunctam esse. Pariter vitiose adhaerere sinistro in latere frequentius ac in dextro sanus pulmo videtur.

§. 100. Pus etiam, ISENFLAMMIUS affirmat, saepius in thoracis sinistro cavo quam in dextro se deprehendisse; cui observationi aliquod forsan ponderis addit, quod veri empyematis

(1) Ei. anat. médic. T. V. p. 77.

septem exempla noverim, quibus sinistra, quatuor tantum, quibus dextra pars pus continuerit.

§. 101. Sed quid illis causae subest? Dextri pulmonis maior magnitudo ad frequentiorem eius morbum, quum accessorius infimus lobus rarius, plerumque, si non omnes lobi affecti sint, supremus aegrotet, si aliquid, parum certe confert. Posses etiam ad ampliorem et breviorem minorique sub angulo ab aspera arteria discedentem dextrum bronchum, per quem in primum respirante neonato aerem in dextri pulmonis superiorem lobum primum penetrare docti viri demonstrarunt, provocare, utpote qui in hanc partem praesertim noxias materias cum aere inferat: sed minus iuste, quoniam materiis hisce raro admodum pulmonum morbi excitari videntur. Nec magis sufficiunt ad explicandum, cur aqua et pus in sinistro thoracis cavo magis colligantur, sinistrae arteriae intercostales oppositis breviores, venae longiores et ab aorta iis superiacente, si sanguine magis solito distenta sit, facile comprimendae (1), vel venae bronchiales

---

(1) Würzbach, praeside Büchner, diss. de singular. quibusdam ad peripneum et pleurit. spectantibus. Halae 1754. cf. Nicolai *Pathologie* l. c.

sinistrae non cavae, sed subclaviae venae insertae, quam ob dispositionem facilius ad sinistram pleuram sanguis nimis congeratur. Ex venarum bronchialium conditione eodem modo, sinistrum pulmonem frequentius affici, deducere posses; ad hoc pleurarum adhaesiones in dextro latere frequentius obviae contradicunt.

CAPUT XI.

Morbi renum.

§. 102. Calculos saepius in sinistro generari rene quam in dextro, admodum convenit inter medicos. Quod primi observasse videntur Dodonaeus (1) et Car. Piso (2), quorum posterior inter 100 nephritide calculosa laborantes 80 et amplius sinistri renis doloribus cruciari, experientia doctus affirmavit; et comprobarunt postea Hoffmannus (3) Boerhaavius (4)

(1) Ei. observ. medicin.
(2) Ei. observ. de morbis a serosa colluvie Sect. II. c. 2. obs. 100.
(3) Ei. med. rat. syst. T. IV. P. IV. S. II. Cap. 6. §. 6. p. 365.
(4) Ei. praelect. ad instit. med. §. 352.

aliique (1). MORGAGNIUS (2) quoque plures casus se legisse testatur, quibus ren sinister solus calculos continuerit, aut plures saltem, maioresque dextro. — Non autem calculorum solum formatione et e calculorum irritamento orta inflammatione, sed omnismodi etiam inflammationibus et destructionibus saepius ille laborare videtur. HOFFMANNUS (3) enim cuius sententiam multis observationibus confirmari VOGELIUS (4) asserit, sinistrum renem nephriticis passionibus plus tentari ac dextrum generaliter inquit, itidemque et BOERHAAVIUS et SWIETENIUS (5) et FRANKIUS (6) in universum eum frequentius inflammari dicunt. COITERUS (7) quidem dextrum renem magis atque sinistrum exulcerationi obnoxium invenit; eo tamen a MORGAGNIO refutatur, quod non modo ex iis in BONETI sepulcreto commemoratis renibus,

---

(1) JUNCKER conspect. med. theor. pract. tab. 42. CARL hist. med. pathol. therap. P. II. C. 3. membr. 2. p. 247. BUDDAEUS in KIESEWETTER, praes. SCHULZE, diss. de lithiasi sinistro quam dextro reni magis infesta. Halae 1738. EHRHART in A. nat. cur. Vol. VIII. obs. 89. p. 327.

(2) L. c. Ep. 40. n. 13.

(3) L. c. P. I. S. II. c. 8. §. 7. p. 465.

(4) L. c. B. IV. p. 394.

(5) L. c. T. II. ad aph. 997. p. 235.

(6) L. c. Lib. II. p. 288.

(7) BONETI sepulcr. anat. Lib. III. S. 23. obs. 23. §. 3.

quorum substantia exulcerata et absumta fuisset, longe plures fuerint sinistri quam dextri, sed exempla etiam, quae aucti, licet intus exesi, vel alio vitio affecti renis, aut alterius tantum, aut eius saltem prae altero multo magis, in scriptis Academiae naturae curiosiorum alibique legantur, pleraque sinistrum prospiciant. Frequentius dextro sinistrum suppurare Voigtelius (1) quoque omnino confirmatum vidit. Accuratius tamen explorandum esset, anne aliqua forsan substantiae mutatio dextro reni magis propria sit.

§. 103. Piso ideo sinistrum renem credidit frequentius dolere, quod lien saburram ichorosam sanguinis atrabilaris in eum potius repurgaret quam in dextrum. Hoffmannus aliique sinistrum renem non tam bene tectum et a frigore munitum esse aiebant quam dextrum, qui sub hepate delitescat, unde hunc sanguis multo promtius et expeditius pervadat, in illo vero humores facilius stagnentur. Anatomicis et physiologicis scientiis auctis atque emendatis ab his opinionibus decesserunt medici et causam phaenomeni illius partim in eo posuerunt, quod in sinistra coli flexura flatus ac faeces facilius accumularentur et renem

(1) Ei. *Patholog. Anat.* B. III. p. 188.

proxime adiacentem premerent, partim in eo, quod distributio vasorum sanguiferorum ea esset, ut sanguis facilius congereretur in renem sinistrum quam in dextrum. Swietenius (1) praeterea frequentiorem in sinistro latere cubitum calculorum in rene sinistro generationem adiuvare suspicatus est.

§. 104. In coli flexuram Hoffmannus iam pridem et postea praesertim Swietenius, Werthius (2) et Soemmeringius (3) attenderunt. Alii (4) inficias iverunt, quia et dextrum renem similis flexura premat, obliti vero, ob vicinum flexum iliacum et rectum intestinum re vera in sinistra magis accumulari faeces et flatus ac in dextra. Omnino negligenda huius coli flexurae pressio certe non est, at sufficere eam ad exponendum, cur crebrius sinister ren laboret, quis dicere possit? Colon nonnisi inferiori eius parti molestum esse potest, tamen Frankio teste, loco quidquam altiori praesertim et posteriori inflammatur. Atque etiamsi omittamus omnino, ob facile distendendos

---

(1) L. c. T. V. ad aphor. 1415. p. 250

(2) Diss. de calculi ortu frequentiori in rene sinistro quam dextro illiusque causa. Halae 1776. 4. quam vero ipse non vidi.

(3) In additam. ad Baillie *Anat. des krankh. Baues* etc. p. 170.

(4) Kieswetter l. c.

musculos abdominales adipemque reni circumpositum permagnam pressionem esse non posse, lienis exemplo cognoscimus, quam parum natura in disponendis visceribus pressionem metuat et evitet, nec ipsi reni adeo infestam pressionem esse ex eo discimus, quod nemo foeminas frequenter uterum gerentes calculo prae ceteris obnoxias dicat.

§. 105. Propter vasorum distributionem, et faciliorem quidem sanguinis ex rene dextro per breviorem et liberiorem venam emulgentem refluxum, rarius hunc renem affici, primo Hallero (1) in mentem venit, cui Morgagnius deinde plane assensus est. Schulzius et Kiesewetterus (2), hanc sententiam amplius persecuti, sinistro in rene necesse esse facilius quam in dextro sanguinem congeri atque stagnari existimaverunt, propterea quod per breviorem atque rarius dextra ramos emittentem arteriam renalem sinistram citius et prius in illum intret, difficilius vero per venam ex eo revehatur, utpote quae et longior sit dextra, et aortam pulsantem superscandat, et, quod maximi aestimarunt, spermaticam, suprarenalem pluresque minores huius lateris venas, dextro in latere

---

(1) In nota ad Boerhaavii instit. l. c.
(2) In dissert. citat.

ipsi cavae venae immissas, in se recipiat nec nunquam fere cum hemiazygea coniuncta sit, cuius sanguinem, quum valvulae desint, ad partes inferiores urgere partimque in emulgentem effundi oporteat. Hunc ad expositionis modum infra reversurus hic nihil praeterea adiiciam.

CAPUT XII.

Morbi systematis genitalis.

I. Morbi genitalium virilium.

§ 106. Antequam ad ipsos qui hoc in capite spectandi veniunt, morbos progrediar, anatomica aliqua praemittere oportet, quae posthac ad explicandum cum hydroceles alicuius speciei, tum herniarum a dextris maiorem frequentiam haud parvi momenti erunt. Et enim constat ex summorum virorum Camperi, Wrisbergii, Schregeri, Hesselbachii (1) observatione, meatum illum, qui post testis descensum in scrotum tunicae vaginalis propriae testis et abdominis cava ad longius breviusve tempus conjungit, serius plerumque in dextro latere

(1) Ei. *Unters. üb. d. Ursprung u. d. Fortschreiten d. Leisten. u. Schenkelbrüche* 1815. p. 23.

quam in sinistro concrescere et excoecari, sive, ut aliis dicam, constat processus vaginalis peritonaei regredientem metamorphosin in dextro latere lentius plerumque procedere quam in sinistro. CAMPERUS inter 17 puerulos neonatos, quorum in tractatu de descensu testium (1) et iterum in seriore de herniis neonatorum (2) meminit, in 7 utrumque meatum apertum, in uno utrumque excoecatum, in 2 dextrum apertum, sinistrum supra testem occlusum, in 4 dextrum ad partem apertum, sinistrum omnino excoecatum, in 2 tantum dextrum omnino excoecatum et laevi aliqua reliquia reperit: in uno dexter testis in abdomine adhuc latuit, processus peritonaei sinister totus patuit. In alio puero imo sinister totus occlusus, dexter totus pervius fuit (3). Atque uti beati collectanea relicta docebant, inter 52 neonatos, quos post tractatuum illorum editionem dissecuit, in 23 ab utroque latere, in 11 a dextro, in 6 tantum a sinistro processum vaginalem et porum Galeni, quo in abdomen hiat, apertum, in 6 ab utroque latere occlusum vidit: 4 ab

(1) Verhand. d. Hollandsche Maatsch. d. Weetensch. te Harlem. T. I. 1761.

(2) Ibid. T. XVII. 1776. — Ei. *kleinere Schriften*, *deutsch v.* HERBELL. *B.* II. *St.* 1. p. 52.

(3) Verhandl. etc. T. VII. 1762. Ei. *kl. Schriften* l. c. p. 75.

utroque latere, 2 a dextro testicondi erant. WRISBERGIUS (1) in duobus foetibus quorum testes annulum abdominalem iam egressi erant, sinistrum porum obliteratum, dextrum apertum vel molli cellulosa tantum obturatum deprehendit. SCHREGERUS (2) deinde, qui in perquirendis hisce partibus summam operam posuit, inter 13 neonatos pueros in 11 sinistrum processum vaginalem dextro vel multo firmius obturatum vel longe angustiorem esse vel solum stricturas et concretionis initia ostendere: in uno tantum porum Galeni a sinistra minus firme obturatum esse quam a dextra, reperit. Eandem propemodum laterum differentiam 8 pueri ab 8 diebus ad 1 $^1/_2$ annum nati exhibuerunt, similemque etiam adulti 8 ab 21 ad 38 annos nati, quorum 6 ad partem tantum occlusos, ad partem apertos meatus, et 4 quidem dextrum, unus sinistrum altero magis apertum, obtulerunt. Vides, quanto cum iure lentior plerumque dextri processus vaginalis peritonaei regressus statuatur. Posteriora vero tempora docebunt, num adeo illa lex sibi constet, ut secundum SCHREGERI exactissimam

---

(1) Ei. observ. anat. de testicul. in scrotum descensu. Goett. 1779. Foet. 8. 9.

(2) *Üb. d. Wasserbruch d. Scheidenkanals* in *Abh. d. phys. med. Soc. zu Erlangen. B.* I. 1810. p. 351. 364.

disquisitionem sibi constare videtur, an, uti CAMPERI et WRISBERGII observationes edocere videntur, plerumque pari gradu in utroque latere meatus illius obliteratio procedat, rarius in altero, sed dextro plerumque, tardescat.

§. 107. Suspicio ex hisce oritur, ipsum testem dextrum iter, quod in scrotum intendendum est, et serius et segnius conficere sinistro: eaque eo magnopere augeri atque confirmari videtur, quod non modo inter 70 illos neonatos a CAMPERO dissectos tribus dexter, duobus uterque, sinister testis vero nulli in abdomine solus latuerit: sed quod WRISBERGIUS quoque foetum descripserit, cui uterque testis quidem abdomen egressus esset, dexter vero facili negotio per apertum processum peritonaei in abdomen repelli posset, sinister nequaquam: quod Ill. BLUMENBACHIUS (1), aliquando sinistrum testem in scrotum delapsum, dextrum ipsi canali inguinali inhaerentem deprehenderit: quod et SCHREGERUS in puero 9 mensium sinistrum testem extra, dextrum intra abdomen repererit. Quae quantumvis licet sinistri testis priorem descensum suadeant, obstat tamen quin eum accipiamus, quod WRISBERGIUS inter 103 puerulos neonatos, quorum viventium

(1) Ei. instit. physiolog. §. 576.

genitales partes perquisivit, plures repererit, quibus dexter quam quibus sinister testis vel solus abdomen egressus vel profundius in scrotum demissus esset.

§. 108. Quod nunc ad morbos attinet, qui testem partesque proxime ei annexas infestant, nonnulli (1) sinistrum testem statuerunt variis morbis in universum magis obnoxium esse quam dextrum; sed, ut ex sequentibus patebit, minus vere.

§. 109. Hydrocelen tunicae vaginalis propriae testis, cum ex causa interna originem haberet, semper sinistrum scroti partem distendere, Dodonaeus (2) docuit, et postea Bonetus (3) repetiit: quod tamen Fabricius Hildanus (4) eo restrinxit, ut non semper, sed plerumque tunc hoc in latere conspiceretur. Eundem hydroceles ex causa interna in sinistra tunica erythroide longe crebriorem ortum ex propria observatione compertum habebant tum Camperus (5),

---

(1) Murray, resp. Boinsdorff, diss. de cirsocele Upsal. 1784 in Schlegel thes. pathol. therap. T. I. p. 518. Monteggia l. c p. 9.

(2) L. c.

(3) Ei. sepulcr. anat. Lib. III. Sect. 29. obs. 21. §. 3.

(4) Ei. observ. chirurg. Cent. IV. obs. 66.

(5) *Üb. d. Behandlung d. versch. Arten. v. Wassersucht* in *Abh. f. pr. Ärzte. B.* 16. p. 584. cf. p. 85.

tum MONTEGGIA (1), tum VAN DER HAAR (2) tum JOHNSTONUS (3), quibuscum etiam MORGAGNIUS (4) consensit. CAMPERUS, dummodo in ipsa corporis constitutione causa lateat, cum semel dexter testis sero immersus reperiatur, vel centies, inquit, circum sinistrum aquam accumulari. VOIGTELIO (5) quidem quae hydrocelae se obtulerunt, pleraeque erant dextri lateris, sed, tot tantisque viris contrarium sistentibus, fortuito ita accidisse credo.

§. 110. Hydrocele cystica auctorum sive, uti secundum SCHREGERI eximiam de ea disquisitionem iustius appellanda est, hydrocele processus vaginalis peritonaei saepius a dextra occurrit quam a sinistra (6). Quod quidem tunicae vaginalis testis, cui hic processus continuatur et quacum ab eodem peritonaeo originem ducit, hydroceles frequentiae a sinistris maiori repugnare videtur, quod vero aliter se habere non posse intelligimus, simulac

---

(1) L. c.

(2) Waarnehmingen etc. Amstel. 1790. — quem librum tamen ipsi mihi inspicere non contigit. Cf. VOIGTEL. l. c. T. III. p. 387.

(3) IV. 72. Cf. VOIGTEL. l. c.

(4) L. c. Ep. 43. n. 34.

(5) L. c.

(6) PORTAL. in additam. ad LIEUTAUD. essays d'anat. T. II. p. 257. SCHREGER l. c.

cogitamus, processum vaginalem in dextro latere, ut supra expositum est, multo saepius apertum manere singulis locis ibique serosae membranae naturam retinere, quam in sinistro. Hydrocelen contra tunicae vaginalis funiculi spermatici sive aquae in celulosa tela funiculum involvente collectionem sinistro in latere crebrius observari docuit Haarius (1).

§. 111. Alias ac membranae serosae testem succingenti, ipsi testi accidit, qui cum epididymide sua crebrius in universum a dextra aegrotat quam a sinistra. Primum enim illam orchitidem, quae gonorrhoeae virulentae haud raro supervenit, frequentius a dextra invadere quam a sinistra, Girtannero (2) referente plures medici observarunt; nec non inter 22 viros, quibus ex siphylitide alterius testiculi inflammationem subortam fuisse in collectaneis adnotavi, 6 tantum sinistrum, reliquis 16 dextrum scrotum intumuerat. — Deinde indurationes etiam variasque degenerationes, quas sarcoceles nomine complectimur, longe rarius ad sinistrum testiculum offendi quam ad dextrum, testes nobis sunt et Hildanus (3) et van der

---

(1) L. c. cf. Voigtel. l. c.
(2) Ei. *üb. d. venerische Krankheit.* ed. 2dae T. I. Cap. 9. p. 127.
(3) L. c. Cent. III. obs. 64.

Haar (1), quorum ille celeberrimus olim chirurgus, ex omnibus herniis carnosis, quas videre sibi contigerit, unicam modo sinistri, ceteras omnes dextri lateris fuisse, asseverat, atque 5 hoc latus prospicientes observationes subinde adnectit. Dextri etiam erant testiculi, quos ad stupendam molem auctos Morgagnius (2) et Haenius (3) nobis describunt. Non autem omittendum est, Hebenstreitium (4) sinistri testis indurationem frequentiorem habere quam dextri. Certe excipias ab illa lege inflammationem, quae post validos nisus ad tollendum v. g. grave pondus factos interdum testi contingit, quae quidem Dranio auctore nunquam fere non a sinistra parte observatur. Cuius rei autem sufficientem causam ipse Dranius (5) subinde adiungit, sinistram venam spermaticam scilicet ex omnium musculorum abdominalium forti contractione a recto intestino duris faecibus saepe admodum repleto facile comprimi et hinc sanguinem magna copia ad testem eius lateris congeri, quod non item dextrae spermaticae accidat.

---

(1) L. c. cf. Voigtel. l. c. p. 43.
(2) L. c. n. 41.
(3) L. c. P. VI. cap. 4. §. 8.
(4) In additam. ad Bell *Lehrbegr. d. Wundarzneyk. B.* I. p. 417.
(5) Le Dran observations de chirurgie T. II. obs. 71. p. 137.

§. 112. Cirsocelen iam medii aevi celeber medicus et anatomicus, ARANTIUS (1), enuntiavit sinistrum latus fere semper afficere. Inter recentiores PETITUS (2) et HEBENSTREITIUS (3) itidem sinistri testis plexus venosos observarunt multo saepius quam dextri varicum in modum extendi: et MURRAYO (4) qui huiuscemodi aegri obviam lati sunt, non plerique, sed omnes in sinistro latere hoc morbo laborarunt. Quocum convenit, VENETTIUM (5) sinistri testis venas et arterias saepe iis dextri ampliores deprehendisse.

§. 113. Rationem, qua re et hydrocele et varicocele crebrius sinistrum occupet latus, MORGAGNIUS ab illo repetiit, quem supra indicavi, minus expedito sanguinis reditu per venam renalem sinistram, cui spermatica sinistra tantum non semper immissa est, secus ac dextra, quae ipsam cavam venam petit. Qua in re inter plures illum secutus MONTEGGIA, ob id etiam maiorem in spermatica vena sinistra ac in

---

(1) Ei. de tumor. pr. natur. cap. 51. in app. ad libr. de hum. foetu. Venet. 1587. 4. p. 248. Cf. quoque MORGAGNI l. c. Ep. 43. n. 51.

(2) Ei. tr. des maladies chirurg. T. II. p. 501.

(3) L. c.

(4) BONSDORFF, praes. MURRAY diss. de cirsocele. Upsal. 1784. SCHLEGEL thes. path. ther. T. I. p. 528.

(5) Ei. tableau de l' amour coniugal. T. I. p. 10.

dextra sanguinis moram esse, putat, quod et longior sit dextra et, dum haec acuto sub angulo in cavam influat, transversim emulgenti imposita sit. Satius vero Petitus varicoceles frequentiam a sinistris maiorem derivavit ex eadem, in quam iam Dranius animum adverterat, compressione, quam in obstipatione laborantibus, imprimis varicocelis obnoxiis, vena illa ex coli flexu iliaco et recto facile experitur. Eadem ad hydrocelen in latere sinistro frequentius gignendam multa conferre videtur, nequaquam autem, cum testis a dextris frequentius aegrotet, omnes ea tolluntur difficultates.

II. Morbi genitalium muliebrium.

§. 114. Inter morbos alterum corporis latus prae altero afficientes referendam etiam duco uteri versus dextram sinistramve partem a pelvis axi declinationem. Quam dextrorsum potissimum fieri iam vetustiores medicos observasse ex Morgagnio (1) intelligo. Huberus (2)

---

(1) L. c. Ep. 48. n. 39.

(2) Ei. de vaginae uteri structura rugosa comm. 1742. p. 16. 17.

Lucinae ministrando atque autopsia in gravidarum et non gravidarum cadaveribus uteri os lateri vaginae sinistro appressum, utero tum in cavitate dextra pelvis sito, pluries se observasse affirmat quam ullo alio modo inclinatum. Itidem HALLERO (1) dextrorsum et antrorsum potissimum uterus premi videbatur. Idemque postea a multis arti obstetriciae operam dantibus confirmatum est, inter quos prae ceteris unicum nominem Ill. OSIANDRUM (2), testem ob multorum annorum experientiam et in observando accurationem gravissimum, qui quidem, quum partus incipiat, dextrorsum haud raro uterum inclinare asseverat. Apprime haec istis respondent, quae accurati C. H. sectores de naturali uteri in pelvi situ observarunt facilemque inde explicationem admittunt. AUTENRIETHIUS (3) enim, quum ut verum partium muliebrium situm determinaret, a tergo cadavera resecuisset, fundum uteri versus intestini recti dextrum latus inclinare reperit. Nec minus GÜNZIUS (4)

(1) L. c. T. VIII. Lib. 28. Sect. 2. §. 4. p. 49.
(2) Ei. *Grundriss der Entbindungskunst.* T. II. p. 185.
(3) Reil *u.* Autenrieth *Archiv. f. d. Physiol. B.* VII. p. 294.
(4) Ei. progr. de utero et naturalibus foeminarum. Lips. 1753. p. 4 et 5.

obliquitatem illam uteri, qua fundo dextrorsum paullulum discedat, maxime naturalem esse, tum in virginibus, tum in foeminis, quae pepererant, invenit. Secundum exactissimas Lipsiensis pridem huius anatomici disquisitiones non fundus solum, sed totus uterus ad dextrum pelvis latus propius quam ad sinistrum accedit, ita ut laeva matricis margo medio fere loco in pelvi posita sit. Non meminit fere uterum vidisse in sano corpore vere in media pelvi collocatum; 4 vel 5 exemplis autem talem eius situm reperit, ut a sinistro pelvis latere propius quam a dextro distare videretur vel vere distaret: tum autem intestinum rectum quoque insolito modo dextrorsum recurvatum erat. Qua ex observatione, intestinum hocce tantum non semper a sinistra in pelvim descendens veram illius a pelvis axi dextram versus deflexionis causam esse, quam luculentissime apparet.

§. 115. Ab utero ad ovaria me conferam, et ad hydropem quidem ovarii, quem in sinistro latere multo saepius inveniri quam in dextro, *Morgagnius* (1) numerosarum observationum

(1) L. c. Ep. 39. n. 40.

collatione probavit. Idem post eum *Fontanius* (1), *Camperus* (2), *Frankius* (3) *Otto* (4), aliique (5) affirmarunt: et quae quidem Ottoni oblatae sunt hydropes, omnes sinistri erant ovarii. Causam eius rei Morgagnius eundem credidit per venam spermaticam sinistram difficiliorem sanguinis refluxum, ex quo frequentiorem in sinistro latere hydrocelen derivaverat. Rem vero ita se habere *Whitius* (6) minus compertum existimans, flexuram coli intestini sigmoideam potius coniecit stercore saepe refertam efficere, ut vasa laevi ovarii sanguine praeter naturam superfluant, eoque hoc hydropi subeundo magis aptetur.

§. 116. Non ad sinistrum, sed ad dextrum praesertim latus pili pertinent, dentes et ossa in ovariis nonnunquam reperta. Casuum, ubi pili solum ex alterutro educti sint, citat *Morgagnius* (7) 3 de sinistro, 4 de dextro ovario (quinto in casu e Stalpaarto citato et dentes

---

(1) Fontaine diss. de tumore abdominis ex scirrho ovariorum. Basil. 1753. in Haller coll. disp. T. IV. p. 485.
(2) *Üb. d. Behandl. d. versch. Arten v. Wassersucht in Abh f. pr. Ärzte B.* XVI. p. 559.
(3) L. c. Lib. VII. d. retent.
(4) Ei. *Handb. d. pahtolog. Anat.* 1814. p. 377.
(5) *Leipz. Lit. Zeit.* 1811. Nro. 70.
(6) Ei. diss. quaed. de ovario complectens. Edinb. 1815.
(7) L. c. Ep. 39. n. 40.

deprehensi sunt) simulque addit, *Schacherum* (1), qui ipse tale pilorum glomus in sinistro ovario repertum accurate descripserit, alia praesertim dextrum latus spectantia exempla afferre. Praeter Morgagnium, Treviranus (2) etiam et *Meckelius* (3) inter huiusmodi observationes apud varios auctores sparsas plures esse repererunt, ubi dextrum ovarium pilorum congeriem continuerit, quam ubi sinistrum. Atque equidem omnes mihi notos casus conferendo in 14 video in dextro, in 8 tantum in sinistro illam latuisse. Recte itaque Treviranus mirari videtur, qui *Bosius* (4) imprimis in sinistro ovario pilos repertos esse contendere potuerit. — Observationes de abnormi in ovario dentium et ossium formatione, quorum nunquam fere pili non comites erant, *Meckelius* (5) accuratissime collegit et comparandis omnibus, ubi allatum erat, num dextrum an sinistrum ovarium illa continuerit, in 17 dextrum, in 7 sinistrum fuisse comperit: Ricuius in utroque ovario ossa deprehenderat,

---

(1) Ei. progr. de ovarii tumore piloso. Lips. 1705.

(2) Ei. *Biologie B.* III. p. 301.

(3) *Deutsches Archiv. f. d. Physiologie B.* I. p. 537.

(4) Ei. progr. de praeternaturali pilorum proventu Lips. 1776.

(5) L. c. pag. 559.

ac 9 in casibus observatores latus non indicaverant. Pilorum, ossium, dentium in ovariis nunquam fere non adiposa materia, saepe etiam varii scirrhi ac haud parvi tumores solidi comites sunt, unde fortassis et hosce in dextro potius apparere ovario haud sine aliqua veritatis specie suspiciendum est.

§. 117. Istam ovariorum efficientiam formatricem abnormiter auctam proxime excipiunt *graviditates verae extrauterinae*, quas quidem *Meckelius* (1) in universum crebrius in sinistro latere accidere autumat quam in dextro. Quod licet quoad abdominalem et tubariam conceptionem extra dubium positum sit, atque de hac eo etiam magnopere confirmetur, quod Heimius (2) decies observaverit sinistram tubam, nunquam dextram, foetum intra se fovisse, ab eo dilatatam ruptam esse abdomenque sanguine inundando mortem intulisse: pili tamen, ossa, dentes, quum in dextro ovario saepius sese praebeant, nos coniicere iubent, veram quoque conceptionem ovariam saepius in dextro quam in sinistro adesse ovario. Etiamsi enim partes illae infimi organisationis animalis ordinis pro reliquiis foetus nequaquam

(1) Ei. *pathologische Anat.* B. II. p. 462.

(2) Horn's *Archiv f. d. med. Erfahrung.* 1812. *B.* I. p. 31.

habendae sint, interdum tamen generationi imperfectae originem eas debere probabile est (1), atque semper certe a nimis excitata vi ovariorum formatrice repetendae sunt, in qua plerumque conceptionis etiam ovariae causam quaerendam esse plura gravia momenta suadent. Re vera coniecturam 14 huiusmodi casibus confirmatam reperio, quorum in 8 a *Montagnio*, *S. Mauricio*, *Bianco*, *Giffardo*, *Delaroquio*, *Duverneio*, *Petito* et *Forestiero* observatis dextrum, in 6 *Riolano*, *Müllero*, *Littrio*, *Böhmero*, *Jägerschmidio*, et *Krohnio* oblatis sinistrum ovarium foetum fovit. Ex quibus omnibus perspicimus, dextri testis muliebris efficientiam formatricem facilius quam sinistri abnormiter augeri. Unde e contrario ratio repetenda videatur, qua re tubaria et abdominalis conceptio crebrius a sinistra accidant, infra exponetur.

§. 118. Postremo demum loco de morbis *mammarum muliebrium* verba facienda sunt. Earum sinistra, quod ex Ill. *Osiandri* cognovi praelectionibus, non solum maior est in multis foeminis dextra, sed frequentius etiam inflammatione et exulceratione, scirrho et cancro

---

(1) Meckel in *deutsch. Archiv. f. d. Physiol. B.* 1. p. 574. 78.

afficitur. Sinistram etiam *Isenflammius* (1) in lactantibus saepius aegrotantem vidit quam dextram, eandemque observationem ab alio medico secum communicatam esse ait. — Cuius rei causa Osiandro sanguinis ob cordis vicinitatem maior ad sinistram mammam impetus esse videtur. Ignoscat tamen venerandus Praeceptor, si in eo minus sequar. Mamma ex subclavia arteria sanguinem accipit, et hinc, si cum *Sömmeringio* (2) et *Autenrieth* (3), accipiendum est, uti esse videtur, maiori impetu in dextram subclaviam sanguinem iniici, maiori etiam, ni rectus fere angulus, quo mammaria interna, quae precipuos ramos ad mammam emittit, ex subclavia oritur, ipsorumque glandulae vasorum angustia prohibeant, in dextram mammam ferri fere videatur. Possis etiam ad cordis proxime subiacentis continuam pulsationem recurrere, sed num congrue? Curne potius, si cum aliis sinistro in latere prae dextro observatis conveniant, ex generali corporis laterum differentia derivemus illa?

---

(1) L. c. p. 17.
(2) Ei. *Gefässlehre* §. 106. cf. supra §. 11. et 60.
(3) Reil u. Autenrieth, *Archiv f. d. Physiol. B.* VII. p. 156.

CAPUT XIII.

Herniae.

§. 119. Herniae abdominales frequentius in universum dextro in latere exoriuntur, quam in sinistro. De hernia inguinali saltem, et congenita, et acquisita interna, nec non de crurali ratum id atque certum est; in dubio vero etiamnum haeremus, num eodem modo et inguinalis externae sedes frequentius a dextra sit ac a sinistra: quippe quae a paucis annis demum ab interna merito distincta est, et in quam, cum externa multo rarior sit, ex mox subiungendis numerationibus conclusio non satis valet. Ceterum situs viscerum in abdomine ita fert, ut in latere sinistro epiploceles frequentiores sint quam in dextro, coecum vero et vicinae partes nunquam fere non in hoc provolvantur.

§. 120. Herniam congenitam crebrius dextro in inguine deprehendi quam in sinistro, Camperus (1) testatur atque id iam ab Aëtio (2)

(1) Ei. *kleine Schr. deutsch v.* Herbell. *B.* II. *St.* I. p. 57.
(2) Ei. tetrab. IV. Sermo IV.

animadversum esse adiicit: idemque Wrisbergius (1) confirmat. Ratio ex eo, quod, uti supra expositum est, et ostium abdominale dextri processus vaginalis peritonaei serius occludi, et totus hic processus tardius confervere solet, abunde patet. Favet etiam frequentiori harum ramicum in dextro latere exortui brevis duplicatura, quam ligamenti instar peritonaeum, ubi super vasa spermatica testis abdomen nondum egressi incedit, in mesenterium abiturum nonnunquam ad ultimi ilëi partem vel coecum mittit (2): et faveret etiam, si satis probata fuerit, diuturnior testis dextri in abdomine mora.

§. 121. Per canalem inguinalem dextrum frequentius intestina provolvi quam per sinistrum, Hesselbachius (3) aliique multi testes sunt. Quorum vero in testimoniis non subsistam, sed ad confirmandam thesin indices subiungam herniarum, cum inguinalium, tum cruralium, quibus de fasciis Mathevus (4) et Monnikhoffius (5) prospexerunt, earumque,

---

(1) L. c. pag. 30. 48. 56.
(2) Wrisberg. l. c. p. 48.
(3) L. c. p. 46.
(4) Camper. l. c. *B.* III. *A.* II. p. 182.
(5) Verhandl. d. Hollands. Maatsch. 3. Weetensch. te Harlem. T. XVII. p. 231.

quibus Londinensis nova pro ruptis societas (1) opem ferri curavit; si autem tres illas numerorum series in unam coniungimus, reperimus inter 4155 herniosos habuisse

hernias inguinales

a dextris		a sinistris		ab utroque latere	
viros	feminas	viros	feminas	viros	feminas
1610	136	921	84	1006	47
1745		1005		1053	

hernias crurales.

a dextris		a sinistris		ab utroque latere	
viros	feminas	viros	feminas	viros	feminas
31	150	18	96	4	53
181		114		57	

Si hisce herniosos adiungimus Amstelodami ab anno 1744 ad annum 1757 fasciis hernialibus gratis instructos, quorum ex Camperi (2) relatione 1089 in dextro, 490 in sinistro, 389 in utroque inguine hernias ferebant, hernias inguinales dextri et sinistri lateris rationem intercedere invenimus, si modo illas respicimus,

(1) Lond. med. and. phys. Journ. 1813. p. 83. et 84. Cf. Hufeland. T. XVII. p. 231. *Journ. d. pr. Heilk.* 1814. *St.* II. p. 105.

(2) *Abhandl. f. pr. Ärzte. B.* XVI. p. 582.

quae singulae contigerant, uti 2834: 1495 sive uti 19: 10; si autem, uti debemus, utrique numero eas hernias adiicimus, quae simul in utroque adfuisse observatae sunt, uti 4276: 2857 sive uti 3: 2. Herniarum cruralium ratione deinde eodem modo computata, eae dextri lateris ad eas sinistri se habent uti 14: 9, vel iustius ut 14: 10 sive ut 7: 5. Praeterea eandem propemodum utriusque lateris herniarum rationem in feminis reperimus ac in viris.

§. 122. Ut herniae acquisitae crebrius in dexro latere appareant, plures concurrere videntur causae. Verdierus (1) dextrum pedem ad eundum primum exporrigendi consuetudinem accusavit, quae vero, quin revera plerisque sit hominibus, et, etiamsi sit; quin aliquid omnino conferre possit, quam maxime dubitandum est. Purmannus (2) et Monteggia (3) ex eo, quod libentius dextro in latere cubaremus, intestina eandem versus partem concurrentia, dum respiratione, tussi, sternutatione agitarentur, magis dextrum annulum abdominalem urgere putabant, quo sensim debilitatus

---

(1) Mém. de l'acad. royale de chir. T. II. p. 40.
(2) Ei. chirurg. curios. P. II. c. 12. p. 374.
(3) L. p. c. 11.

facilius partibus in herniam detrudendis cederet. Maioris habenda videntur a MONNIKHOFFIO (1) et SPRUYTIO (2) prolata, dextrum brachium nempe in omni virium intentione summas partes agere. Quum enim ad tollendum, quidquid sit, grave pondus annitimur, unde frequentissime hernias prolabi constat, dextrum pedem plerumque praeponentes, huic praesertim innixi et dextrorsum plus minus incurvati eiusdem lateris brachio maximam vim exserimus: diaphragmate depresso, musculis abdominalibus validissime contractis intestina pelvim versus premuntur: dextri lateris autem musculi oblique descendens et transversus ob truncum idem in latus flexum, dum musculi spinae ad erigendum eum maxime intenduntur, sinistris minus tensi, magis relaxati sunt, unde, et intestina magis in dextram partem urgeant, et annulus abdominalis, qui musculis istis conficitur, minus hac a parte iis resistat, oportet. Praeterea ipsi quoque annulo dextro maior ad emittendas hernias dispositio esse videtur, serius enim plerumque et laxius peritonaei

(1) Ei. Verh. over de brenkepenz. §. 24 et 63.

(2) Verhandl. bekroond met. d. prys het legaat v. J. MONNIKHOFF. T. II fasc. II. p. 179.

processus, qui per illam ad testem exit, occluditur, atque laxior fortassis, si conclusio inde valet, ambiens etiam cellulosa est. Quae in viris. Simili modo in femina cum uteri ligamentis teretibus peritonaei processus per canales inguinales exeunt in labia pudendorum penetrantes, in iuniore foetu certe pervii et, ut NUCKIUS (1) et CAMPERUS (2) me docuerunt, in nata etiam puella, quin adulta, interdum aperti, ita ut diverticulum constituant: quos etiam in dextro latere tardius conservere saepiusque patentes inveniri coniiciendum est. Num simile quid obtinet quoad hiatus illos prope venam iliacam, herniarum cruralium sedes? Uberius infra exponetur, oxygenes, contractionis et rigiditatis praesidem, in sinistro latere prae ceteris corporis elementis eminere, atque hinc fere verisimile videtur. Ceterum modo exposita momenta ad crurales hernias minus pertinent quam ad inguinales, et hinc esse putes, quod illarum copia in dextro latere prae sinistro non tanto maior sit, quanto harumce.

---

(1) Ei. adenographia c. X.

(2) *Üb. d. Behandlung d. versch. Arten d. Wassersucht.* in *Abh. f. pr. Ärzte. T.* XVI. p. 582.

CAPUT XIV.

Distorsiones spinae dorsi et morbi extremitatum.

§. 123. Constat ex plurimorum spinae distorsione, sive scoliosi simplici, sive scoliosi unaque cyphosi, laborantium accurata observatione, in longe plerisque duplicis, quae fere semper adest, spinae curvationis inferiorem, vertebrarum lumbarium vel imarum thoracis simul, gibba parte sinistrorsum, concava dextrorsum prospicere, superiorem contra, vertebrarum thoracis, eamque ob maiorem huius spinae partis mobilitatem et motum inferiore tantum non semper longe maiorem et cum cyphosi plerumque coniunctam, prominentem sui partem dextro lateri advertere. Eandem legem alterutra, si, ut rarius accidit, singula adest, servare solet (1). — Inferior spinae deviatio nunquam fere non prior adest superiore,

---

(1) Meckel *pathol. Anat. Th.* II. p. 532. Cf. Voigtel *pathol. Anat. B.* I. p. 316. seq. Ludwig in Advers. med. pract. T. II. p. 339. — Jörg *v. d. Verkrümmungen d. menschl. Körpers.* 1810. p. 57. — Bichoff in Hufeland's *Journal d. prakt. Heilk.* inter 100 gibbosos asseverat certe 80 a dextra parte gibbum ferre.

ita ut haec, praegressa altera, superioris corporis aequilibrii servandi studium necessario insequatur atque, si illius modum exposuerimus, plurimis in casibus explicatione non egeat. Ludwigius spinam inferiorem ad sinistram partem plerumque deflectere putabat, propterea quod sinistri lateris musculi, aliqua semper imbecillitate praediti, rectitudinem spinae non ita, ut musculi dextri lateris, sustineant: quod vero, quum vertebrae thoracis, etiamsi nulla inferior altera incurvatio adsit, ad dextra plerumque arcum describant, parum probatum existimo. In externis momentis potius ratio quaerenda est. Praecipua feminarum plerarumque nostratium ea consuetudo conferre videtur, qua sinistro brachio imponunt infantes. Hi quo sunt infirmiores, eo magis summo corpore dextro ad nutricem se acclinant: unde laevum os ilei paulum elevatur, dextrum deprimitur, una columna vertebralis ad sinistram secedit, superiore parte ad dextram abeunte, eoque magis secedit, quo musculi spinam erectam servare et corporis pondus sustinere minus valent. Si serius rhachitis supervenit, situ, qui in scribendo, nendo, suendo, etc. affectari solet, quo scilicet etiam summo corpore in dextram partem inclinant, idem distorsionis modus favetur. Idemque eo adiuvatur, quod, uti Isenflammius in se aliisque

observavit, et equidem etiam in plurimis observavi, stantes uni pedi plerumque prae altero innituntur, et dextro quidem saepius et diutius quam sinistro: si enim dextro pedi insistimus, etiam versus sinistram partem a recta linea aliquantum deflectit spina arcumque describit, uti in quavis fere nudi hominis imagine et in ALBINIANIS etiam musculorum tabulis videndum est. — Quod dorsi vertebrae, etiam si solae distorquentur, ad dextram plerumque deflectunt, cum eo convenit, quod in permultis circa tertiam, quartam, quintam earum vertebrarum spina dorsi ad dextrum latus non nihil cedit, (1) illaque distorsio aucta tantum haec frequentissima flexura esse videtur. In omnibus hominibus vero ita sinuata spina non est (2), ita ut a prima formatione esse non possit et, quae deflexionis sit causa, quaeratur. SÖMMERRINGIUS aliique aortae allisui eam tribuerunt, haud sine magna veritatis specie: ACKERMANNUS (3) contra, sexus sequioris spinam potissimum hoc modo flecti et id ipsum a

(1) BLUMENBACH *Osteologie* §. 106. p. 270. LOSCHGE de sceleto hominis symmetrico. Erl. 1795. §. 29. p. 86. etc.

(2) HALLER elem. physiol. T. III. p. 1. SÖMMERRING *Knochenlehre* §. 381. p. 295.

(3) Ei. *üb. d. körperl. Verschiedenheit d. Mannes v. d. Weibe. übers. v.* WENZEL. p. 50.

fibulatoriorum usu et pressione proficisci probare studuit. Accuratius inquirendum erit, num forsan situs quidam corporis frequentissimus sua etiam conferat.

§. 124. Puellis gallicis, praesertim nobilibus RIOLANUS (1) testatus est, dextram scapulam plerumque sinistra magis prominere, et inter 100 vix 10 optime conformatis scapulis gaudere. Quod quidem ab eadem illa vertebrarum flexura pendere videtur variis artificiis ad demissos humeros et augustum thoracem inferiorem reddendum adhibitis aucta. Eo enim in latere, quod spinae distortae gibba pars respicit, costae posteriore sui parte nimis flexae et prominentes esse solent.

§. 125. MONTEGGIA (2), quum in varia claudorum vitia per anatomen inquireret, plerumque sinistram, raro dextram extremitatem altera breviorem deprehendit: nec non illorum, quos passim obvios offendit, plures a sinistris claudos esse invenit. Coniecit vir acutissimus, utut brachiorum haud aequalis sit promptitudo, simile quid, licet minus evidens, pedibus inesse, unde sinister scite minus humum signet faciliusque gliscens frequentiores a sinistris

(1) Ei. enchir. anatom. VI. c. 17.
(2) L. c. p. 24.

lapsus efficiat: neque hoc prorsus reiiciendum est. Suspicio iniicitur, coxalgiam, frequentem claudicationis causam, crebrius sinistrum latus afficere: tamen FICKERO (1) inter 16 huiuscemodi aegros 12 oblati sunt a dextra parte claudi.

§. 126. An coniiciendum est, reproductionem in sinistro latere minus vigentem efficere, ut saepius in eo prave coalescant fracta ossa? Ex parte illud ex eo etiam explicari videtur, quod plures casus legerim, ubi sinistra quam ubi dextra extremitas inferior, reliquo corpore in universum iuste habente, imperfecte formata esset: quod vere ita esse, varii etiam probant secundum Ill. FR. OSIANDRI observationem, ubi ad alterum modo pedem offeruntur, frequentius ad sinistrum quam ad dextrum obvii. Ill. FR. OSIANDRO (2) teste, saepius, si unum modo pedem afficiunt, in sinistro latere occurrentibus quam in dextro.

§. 127. Tibiarum denique annosa ulcera, MONTEGGIA (3) auctore, multo crebrius sinistrum crus quam dextrum obsident, in iis

(1) Ei. *Preisschr. üb. d. freiwillige Hinken der Kinder.* 1807. p. 35.

(2) *Abhandl. d. phys. med. Societ. zu Erlangen B.* I. 1810. p. 337.

(3) L. c. p. 32.

praesertim, qui lienis obstructione sive inflammatione potius chronica laborant; plurimos huiusmodi aegros se vidisse affirmat, quibus aut nulla aut pauca benignaque ulcuscula in dextra tibia adessent, sordidum vero et gangraenosum ulcus sinistram depasceret. Laevum crus dextro longe frequentius exulcerari, POUTEAU (1) etiam iam dudum observavit atque inter 10 huiuscemodi ulcera certe 7 ad sinistrum crus deprehendi contendit: quod idem de ulceribus crurum atonicis quam numerosissimis observationibus sibi confirmatum esse RICHERANDIUS (2) asseruit. Lienis diuturnum affectum ulcera tibiarum, et sinistrae quidem praesertim, pessima gignere, veteres medici imprimis nec non recentiorum nonnulli testantur, multoque minus liene hepar de eo accusant. Quod quum ita sit et infra ulterius probandum sit, maximum eiusdem lateris cum visceris alicuius ipsi adsiti labe esse consensum, ex parte sane in MONTEGGIAE sententiam abeundum est. Ab altera autem parte haud pauca productioni tribuenda videntur, quam in sinistro latere energia multo minori pollere,

---

(1) Cf. RICHERAND nosographie chirurg. T. I. 1805. p. 109.
(2) L. c.

quam in dextro, alia, nec levia, suadent. Eam aliquatenus iam RICHERANDIUS accusavit, eiusque sinistri lateris maioris debilitatis causam in maiori dextrarum partium usu sitam esse existimat. Qua de re infra fusius disputandum erit.

SECTIO II.

CAPUT XV.

De symptomatibus et metastasibus, quae κατ' ἴξιν fiunt, et de generali morborum dimidiatorum causa.

§. 128. Expositis iamiam atque absolutis variis morbis alterum corporis latus prae altero afficientibus pauca superaddenda sunt de localibus iis affectibus, qui ab aegrotante aliqua alterutrius lateris parte in eodem latere plus minusve remotiore loco provocari solent, longe rarius in opposito apparent, sive solum symptomata illius vitii habendi sint, sive declinante eo demum exsurgant, metastases ideo putandi. Quae nos adducent sub fine huius sectionis ad exponendum, quae in universum ad coercendos in dimidio corpore varios affectus conferre videantur, viamque demum sternent ad enucleandam generaliorem utriusque lateris differentiam, de qua in tertia et ultima sectione agendum est. — Ad illa symptomata atque metastases iam Hippocrates et proxime

eum insequentes quam maxime attenderunt, eaque κατ' ἴξιν sive e directo fieri dixerunt, ἀνάπαλιν fientia ipsis opponentes. Plerumque eodem in latere ea apparere, legem a natura sancitam putarunt, adeo ut HIPPOCRATIS doctus commentator DURETUS (1) vel omnia per metaptosin et epigenesin κατ' ἴξιν, nihil ἀνάπαλιν fieri enuntiaverit. Quod non semper quidem, saepissime tamen ita esse, a nuperis etiam medicis confirmatum videmus.

§. 129. Quod primum ad symptomata attinet, quae κατ' ἴξιν apparent, talia partium abdominis et thoracis praeprimis affectibus accedere videmus: hisce enim in cavis centrum quasi situm est, ex quo ad omnes corporis partes excurrunt et ad quod redeunt ab omnibus nervorum vasorumque, cum sanguiferorum, tum lymphaticorum, radii. Minus in earum partium, quibus cerebrale nervorum systema prospicit, morbis emergunt; referas tamen eo dolores ex parte aliqua inflammata vel irritata latius propagatos, pulsus in vicino carpo mutatos variaque eorum, quae in Sect. I. Cap. I. allata sunt. Illorum praecipua nunc brevibus perstringantur, ea primo loco, quae nervos partium in consensum vocatarum pati

(1) Interp. et enarrat. in Hipp. coacar. praenot. Lib. I. c. 16. n. 51.

aperte produnt, veluti dolores, spasmi et paralytici affectus, deinde quae vasorum actione vitiata ac vegetatione depravata exseruntur. — Accedunt autem saepenumero ad alterutrius pulmonis labem dolor circa claviculam vel scapulam vel in brachio lateris affecti, interdum paralysis brachii: ad cordis varia vitia sinistri praesertim brachii dolor. In hepatitide et ulcere hepatis dolor saepe ad dextrum pectus iugulumque propagatur ac praecipue circa summum humerum dextrum urget, dextram suram vel femur nonnunquam dolor haud levis ac spasmus, dextrum brachium, quod aegri interdum attollere nequeunt, torpor, stupor, et formicationis sensus occupant, utraque dextra extremitas insensilitate et debilitate quandoque prehenditur (1). Eadem symptomata a sinistra parte molesta in lienis morbis interdum observantur. In nephritide, calculosa praesertim, eo in latere, ubi ren aegrotat dolores ad vesicam, ad inguen testemque iaculantur, testis a cremastere ad abdomen detrahitur et circumvolvi in scroto videtur, crus respondens stupore, torpore dolenteque spasmo et tensione nonnunquam tenetur. Pariter

(1) Sic Whyttius bis vidit in hepatis abscessu; vid. on the nervous disorders cap. I. Works 1768. 4. p. 499.

in uteri alterius lateris coxam irruit, crus subiacens gravatur, torpet et aegre movetur. Et quae sint reliqua. Nervorum connexionem esse, quae omnia haeč symptomata inferat, quis dubitare posset? Quod si persuasum habemus, ecce pertinaciae eorum haud exiguae in afficienda ea sola corporis dimidia parte, in qua viscus aegrum collocatum est, omnino sufficiens ratio nobis in arctiori nexu, qui nervi visceralis et sympathici plexus in altero thoracis et abdominis latere dispersos cum eiusdem lateris nervis cerebri et medullae intercedit, atque, in iis ramis, qui ab ipsis hisce nervis ad viscera eorum lateri adsita penetrant, offertur. Excogitarunt quidem viri docti pro singulis phaenomenis singulos explicationis modos, qui vero, quum ad cetera phaenomena non congruant, reiiciendi sunt. Sic Biancus pleurae tensioni, alii inflammationi per diaphragma pleuramque propagatae humeri iugulique dolorem imputarunt ad hepatis affectus accedentem, longe satius ex nervo phrenico dextro exponendum, qui scilicet haud exiguos ramos in hepar spargit et ex nervi cervicalis quarti ramo anteriore, in summo humero partibusque proxime adiacentibus absumto, praecipuam radicem accipit. Simili modo testis dolor et revulsio in nephritide explicantur, quos Ruttyus aliique ex vase deferente presso

et irritato ab uretere decussatim id transiente haud apte derivarunt. Ceterum artuum torpores et stupores plerumque non ex compressione nervorum brachialium et cruralium, sed ex sympathica eorum affectione pendere, brachii affectus in hepatis ulcere demonstrat.

§. 130. Sed iam altera, quam innui, horum symptomatum series percurrenda est. Pulsus in graviore aliquo locali affectu quam saepissime in affectae parti respondente carpo, quam in altero, magis immutatus est: Fouquetus (1) generalem imo in sphygmologia legem statuit, eo in latere, cui laborantes partes adiaceant, distinctius pulsuum modos affectibus earum peculiares percipiendos esse. In pleuritide depressum magis, in calculo renali saepe minorem magisque depressum affecti lateris pulsum esse, Baglivius (2) testatur etc. Alterius modo genae rubores pulmonis eiusdem lateris inflammationem et vomicam interdum comitantur maiorque dimidiae dextrae faciei rubor hepatitidi quandoque accedit. Epistaxis ex Hippocratis dicto posthac a multis confirmato, si hepatis vel lienis vitio se adiungit,

(1) Ei. Essai sur le pouls 1767. Chap. 21. p. 110.

(2) Ei. de fibra motr. spec. lib. I. c. 9. Opp. L. B. 1745. 4. p. 335. — Nonnullae huiusmodi observationes. §. 77. insertae sunt.

in illo e dextra, in hoc e sinistra nare plerumque fit, eamque nonnunquam eiusdem modo lateris arteriae radialis pulsus dicrotus et genae rubor praenuntiant. Linguae eius dimidiae partis, quae pulmoni affecto respondet, albae et asperae mentio facta est. — THILENIUS dimidii dextri hominis sudorem hepatitidis symptoma vidit et ROMMELIUS sudoris in dextro dimidio trunco suppressionem hepatis induratione inductam observasse videtur (1). Saepius respondentis cruris, interdum brachii simul et faciei respondentis partis oedema, rarius atrophia, visceris cuiusdam diuturno vitio se adiungit. Surae profundiorum venarum varices plethorae abdominalis symptoma interdum adsunt, et dextrae quidem praesertim, si hepatis, sinistrae, si lienis maior labes. De ulceribus tibiae sinistrae in lienis morbis iam dictum est. BIRNSTIELIUS (2) denique oculi dextri minorem aciem notis hepatitidis symptomatibus adiecit: quo oculi e directo respondentis inflammatio in mentem revocatur, quam nervi vagi discissionem ACKERMANNUS aliique nunquam non insequi viderunt. — Quae quidem symptomata maximam ad partem eodem

---

(1) Cf. §. 70. et 74.
(2) Cf. Vogel *Handb. d. prakt. heilk. B.* IV. p. 349.

nervorum nexu, quo priora illa nituntur, exponi puto, aliis solo nervorum sympathico affectu provocatis, aliis maius quidem sanguificationis omnisve productionis vitium supponentibus, illi tamen, ut eodem in latere, cui aegrotans viscus adiacet, praesertim appareant, debentibus. Pulsum in utroque carpo diversum, unius lateris sudorem, oedema, atrophiam crebro nervorum in altero latere resolutione induci, nec non, quod alias quoque a nervorum in utroque latere differente incitatione pendeant, gravibus rationibus suaderi, supra monui: unde consentaneum est iudicare, iisdem nervis effici, ut in viscerum variis vitiis in parti aegrotanti respondente latere praesertim morbus propagetur et κατ'ἐξιν huiusmodi symptomata emergant. Oedema pedis quidem ex eo multi repetebant, quod lymphaticorum vasorum trunci a tumefacto viscere compressi essent, quod vero, etiamsi nonnunquam supponendum sit, saepe certe non ita esse, oedemate manus dextrae hepatis vitiis non nunquam adiuncto edocemur. A pulsibus arteriae radialis ad reliqua sanguifera vasa colligendum est, et hinc ex nervorum sympathia unius modo genae rubores, arteriae in uno modo brachio subsultus, sanguinis ex eiusdem modo lateris, non altero, foramine nasali effluxum, dum inflammatio lenta e directo

respondens hypochondriacum viscus tenet, felicius exponi censeo, quam ex ea P. Frankio (1) etiam accepta Onoffrii (2) coniectura, quod a viscere tumefacto, diaphragmatis descensu eo in latere impedito, pulmones, ab hisce vena subclavia altero comprimantur, indeque sanguis in eadem capitis parte brachioque magis coacervetur. Sed latius si explicare omnia huc pertinentia vellem, commentationis limites nimis transgressurus essem, ideoque pauca haec sufficiant. Vasorum cum sanguiferorum, tum seriferorum, compressionem vel inflammationem interdum quidem ad provocanda nonnulla horum symptomatum suas partes conferre, nervis autem multo minoris dignitatis esse, persuasum habeo.

§. 131. Luculenter illa phaenomena ostendunt, in gangliorum etiam systemate dimidiatos affectos obtinere eiusque diversarum partium morbum eodem in latere dextro sinistrove potius propagari quam in oppositum transferri. Imperfectam tamen divisionem istam esse eo docemur, quod multa memoratorum sympto matum nonnunquam etiam non in respondente, sed in altero appareant latere.

---

(1) L. c. L. V. T. H. §. 592.

(2) Cf. Spangenberg *üb. d. Blutflüsse in medic. Hins.* 1805. p. 208.

§. 132. Ut symptomata secundaria, metaschematismi etiam affectuum localium in eodem plerumque, quo primum affecta pars sita est, se continent latere, in alterum fere tum tantum transilire videntur, quum pars illibi iam debilitata ad aegrotandum prona magis atque proclivis est. Sic arthritis saepissime eodem in latere, e quo exiit, ulterius migrat: ex parotide unum modo latus exercente ad respondentem testem (1), ex unius cruris ulcere ad eiusdem lateris pulmonem (2) plerumque fit metastasis (3) etc. Cuius rei causa itidem in nervorum posita est dispositione, systematis cerebralis scilicet perfecta per medium corpus peracta divisione, saepiusque dicto nervorum in altero corporis latere viscera adeuntium intimiori cum reliquis sui lateris nervis, quam cum oppositis, nexu. BORDEUS et COURMETTIUS (4) ad telae cellulosae fabricam recurrerunt, qua morbificae materiei in ipsam penetrantis facilior ad inferiora vel superiora, quam ad alterum corporis latus, sit transitus. Verum haec antiquata sunt et, metastases

(1) ROCHARD in Journ. de méd. 1757. p. 379.
(2) MONTEGGIA l. c. p. 580.
(3) Singularia aliqua huiusmodi metastasium exempla COURMETTIUS retulit in Journ. de méd. T. 85. 1790. p. 40. 43.
(4) Cf. §. 140.

dynamicas potius esse quam physico aut mechanico modo exponendas, constat: nervi autem, vis vitalis conductores, cuiusvis partis incitationi moderantur et dynamicum singularum cum reliquo corpore connexum efficiunt.

§. 133. Nonnunquam alium alterius lateris affectum alius excipit alii mox iterum cedens, adeo ut per aliquod tempus variarum partium alternantium affectuum plus minusve longa serie alterum solum latus conflictetur, altero localis saltem morbi vel omnino non vel parum participante. Cuiusmodi egregium exemplum, ubi sinistrum latus aegrotabat, nuper Fr. Osiander (1) divulgavit. — Hisce a casibus proxime illi distant, ubi plures unius lateris partes eodem morbo, variam pro varia parte formam induente, simul afflictae sunt. Quo spectantem eximiam observationem Courmettio (2) debemus quam, quin apponam, continere me non possum. Consuluit autem eum vir quidam, cui, quoties humidus et crustosus herpes capitis sinistram partem obsidens detergeretur, scrotum sinistrum herpete gravissime affectum est, testis glandulaeque inguinales eius lateris intumuerunt: herpete ad caput

(1) L. c.
(2) L. c. p. 38.

restituto illico refecta sunt; Courmettio denique herpeti mederi contigit: post aliquod tempus vero in illa capitis parte gravis supervenit pruritus cutisque ibi valde rubuit: altero die sinister quoque oculus valde inflammatus est, palpebrae, pinna narium, gena, auris, parotis, collique pars hoc in latere tumefactae sunt, in pectoris et abdominis laeva parte effloruerunt pustulae, intumuerunt articuli utriusque sinistrae extremitatis atque in omnibus iis, uti in linguae sinistra parte, pruritus molestus fuit. Conferas cum hac historia varias illas supra dictas passiones, quae Hartmanni dextrum latus nimio sudore laborans exercuerunt, tum, quem tradidi, salivationis unius lateris casum, Bergio visum, nec non a Rossio institutas pellagrà defunctorum sectiones.

§. 134. Etiam hisce in casibus nervis summas tribuendas esse partes, nemo, qui superioribus assenserit, inficias ibit. Atque inquirentes in universum, quae in dimidio corpore affectus definiant impediantque, quo minus in altero etiam latere locales morbi affectus appareant, vix ad aliam ullam corporis humani partem recurri posse invenimus praeter nervos, quorum alterius systematis anatomica dispositio quantopere gignendis dimidii hominis affectibus faveat, paragraphis huius commentationis primis exposui in toto primo capite maxime

variis nervorum morbis probavi, alterius, licet nequaquam in distinctas duas dimidias partes disiuncti, alteram tamen partem et in se ipsa et cum reliquis sui lateris nervis intimius cohaerere modo vidimus, quam cum altera parte oppositisque nervis. Nervorum autem vitium, hemiplegiam, valde saepe productionem in altero latere pessumdare, nec non in dimidiatorum affectuum maxime insignibus et mirabilibus eorum passionem saepe haud obscure prodi, imo valde eminere, eos affectus e contrario omnium rarissime in dimidio corpore coerceri, quorum maxime exiguas partes nervi suscipiant, pluribus locis supra exposui. Hinc, vos amabo, nonne consentaneum est concludere, omnes dimidiati hominis morbos nervorum in utroque corporis latere differente incitatione excitari? Sed videamus, quid reliquas praecipuas corporis similares partes conferre iudicandum sit.

§. 135. Vasa sanguifera in universum quidem etiam in dextra sinistraque invicem sibi respondentia dilabuntur, verum eodem omnia irrigantur latice, quem ex uno centro accipiunt, in unum refundunt, eademque circa periphericos fines ab utroque latere multifariis anastomosibus invicem coniunguntur: adeo ut perfecte dimidiatis affectibus obstare potius, quam favere videantur. Eo tantum adiuvat

quodammodo ipsorum dispositio, ut, sanguine ad alterius lateris aliquam partem congesto, oppositae partes, ni ad utrasque accedentes arteriae iuxta oriantur, non nisi per anastomoses congestionis parum participent. Multo plus lymphatica, quae a quoque corporis puncto absorbent a processu vitali residuas partes atque in duas quasi magnas arbores, in abdomine et thorace tantum connexas, disiuncta sunt, unius lateris affectuum generationem adiuvant, nihilominus de nervorum hac in re praecipua dignitate nihil detrahunt: plerumque enim ea non adversari solum dicere praeferrem. Tela cellulosa, cui tantum tribuerunt et Bordeus (1) et Courmettius (2), minimae certe est dignitatis, eiusque coarctatio in medio corpore, sub cute saltem conspicua (3), multo magis, propterea quod corpus ex duabus dimidiis conflatum esse significat, memoranda est, quam in morborum consideratione magni habenda, eaque vix aliud valet, quam aliquantum impedire, quia fluida in altero latere in cellulosam effusa alienave corpora eam permigrantia in alterum corporis latus transeant.

---

(1) Recherches s. le tissu muqueux ou l'organe cellulaire. 1767. p. 70. seq.

(2) L. c. p. 233 35. cf. p. 47. 52.

(3) Bichat Anat. general. P. I. T. I. p. 13. 14.

Musculorum deinde symmetrica dispositio adiuvat certe affectuum ipsorum in dimidio corpore accuratam definitionem, verum et azygi pro dimidia parte resolvuntur, et nervorum efficientia nunquam in morbis istis non vitiata est. Ad nervos igitur redeundum est iterum atque iterum, tanquam summam solamque plerumque unius lateris morborum causam.

§. 136. Obvenit vero in corpore humano intimior quarumdam partium nexus atque consensus, quem nervorum connexione exponere nequimus, veluti genitalium partium cum cute mentali et cum larynge, uteri cum mammis et in statu morboso cerebri cum hepate, testium cum parotide ac pulmone. Unde quaestio exoritur, an similis quaedam a nervis non pendens maior conspiratio corporis utriusque lateris varias partes intercedat, aut talis ut eadem iis omnibus prae oppositis ab origine sit insita maior ad certa morborum genera proclivitas, aut talis ut ab una alterave aegrotante, nervi licet affectum non proferant, nihilominus reliquae eius lateris partes plus minusve pro morbi natura in sympathiam trahantur. Quorum posterius probari non poterit semperque ad nervorum nexum redibit; priori vero non solum nihil repugnat, sed multa etiam ipsum suadent atque confirmant, iam inaequali partium thoracis et abdominis dispositione,

quam fors certe ita non tulit, discrimen aliquod inter utrumque corporis latus adesse docente. Hinc alterum gravè momentum fluit, praeter nervorum dimidiatam dispositionem ad excitandos unius modo lateris varios varieque extensos affectus plurima conferens. Quale autem sit discrimen hocce, et quae ipsum suadeant rationes, proxima sectione exponetur.

SECTIO III.

De hominis dextri et sinistri differentia generaliori.

§. 137. Composui in sectione prima, quae de frequentia variorum morborum in utroque latere diversa nos docuerunt observatio casuumque accurata collatio, adiunxi causas singularum harumce corporis dextri et sinistri differentiarum, ubi sufficientes vel dispositione partium anatomica vel consuetudinibus hominum exhiberentur, indicavi saltem ubivis varia explicandi eas a variis facta pericula. Superest ex instituti ratione, ut singula in unum congeram inquiramque, quod specialibus illis efficiatur generalius utriusque lateris discrimen, cuius naturae ipsum sit et unde originem ducat. Timidus vero accedo ad hancce epicrisin, non solum quia observationum exposita series, admodum manca, multos, qui quem-

admodum hoc respectu habeant maxime interfuisset scire, morbos omnino praeterit, ipsarumque plures infirmae ulterioris confirmationis valde egent, nonnullae iterata inquisitione falsae forsan reiicientur, ita ut generalia iis superstruendi tentamen nonnisi imperfectum esse possit, sed propterea imprimis quod scientiis medicis vix imbutus equidem quaestionem aggredior, quae perfecte et pro sua dignitate solvenda virum posceret, qui ingenii acie pro scientia nostra in ipsos naturae intimos recessus penetraverit.

§. 138. Quum primum in aegritudines animum advertamus, quae ex vitiata nervorum efficientia emergunt, et in eas quidem, quarum sedem primariam in cerebro non esse certo iudicio colligimus, laevum latus frequentius laborare cernimus et epilepsiae prodromis et scelotyrbe et omnis generis hystericis molestiis, dextro latere nihil prorsus, quod hisce opponi posset, offerente. Nullam plerumque materialem eorum affectuum causam dissectio corporum detegit. Quibus itaque docemur, in nervis sinistris medullaque sinistra facilius ac in iisdem dextris partibus, vasorum systemate morbi non participe, inaequalem vis nerveae distributionem oriri processumque illum animalem, quo efficientia nervorum nititur, laedi, ut vel dolor aliusve sensus eius laesionis nos

conscios faciat vel motus musculorum vitietur. Qua ex re veritatis etiam maior species coniecturae accedit supra propositae, hemiplegias haud praegresso insultu apoplectico invadentes, si revera dextrum latus frequentius resolvant, ita facere, quia ad dextram medullae partem facilius nimis congeratur sanguis; nec non suspicio gignitur sat bene munita, hemiplegiarum harumce mere nervosas non dextrum, sed perinde ac dictos affectus sinistrum latus praesertim aggredi. Ferme idem deinde in cerebro obtinere, atque in eo, quod, ad reliqui systematis nervosi similitudinem, in laeva ipsius parte facilius ac in dextra ignotus processus, quo animae commercium cum corpore nititur, turbetur et nequaquam a systematis sanguiferi actione aberrante pessumdatus in se ipso quasi dilabatur, rationem obiici existimo, qua apoplexia nervea, quae hystericae passionis symptomati saepe haud inepte comparanda est, frequentius hemiplegiam dextri lateris relinquat. Ad causam enim in opposita cerebri parte haerentem constat hemiplegiam tantum non semper revocandam esse. In aliusmodi apoplexiis vasorum cerebri sanguiferorum actio, quae in spasmodica a bona valetudine plerumque non abscedit, nimis incitata est. Quam in dextra parte frequentius ac in opposita supra modum efferri eoque, quod efficientiae

nerveae refectionem saepius ibi prohibeat, efficere videri, ut hemiplegiae illas insequentes sinistrum potius tangant latus, supra iam attuli. Verum alteram insuper accedere paene credo eiusdem rei rationem. Etenim recorderis, supra me nonnullorum mentionem fecisse, quae, nervos lateris sinistri a pari ipsorum centri, oppositae cerebri partis, vitio gravius quam eos dextri affligi, moveant suspicionem: quae quidem suspicio frequentiori illorum affectione magnopere augetur. Probatam autem si habemus, etiam vasis in utraque cerebri parte aequaliter affectis nervorum in corpore sinistro sparsorum efficientiam crebrius in apoplexia ocyusque laedi debere comprehendimus, ut, dum oppositi post insultus transitum conditionem recuperent normalem, eiusdem lateris hemiplegia relinquatur. — Exposita vero tecum reputans nonne consentaneum dices coniicere, eadem nervorum corporis laevi facilius turbanda actione effici, ut et rheumatismo et arthritidi, anomalae saltem, et zonae idem magis dextro obnoxium sit, affectibus, in quibus nervorum maximum esse momentum indoles ipsorum aperte docet.

§. 139. Sed mittamus nervorum affectus, ad quos posthac redeundum erit, et perlustremus iam vegetationis varia vitia, quorum in alterutro latere frequentior sedes est. Ecce

offertur in latere sinistro crebrior omnium eorum organorum passio, quibus officium est fluida aquae copiâ serum sanguinis longe superantia halitusve secernendi in huiuscemodi fluida condensandos, quo glandularum salivalium et lacrymalium, renis, ad partem etiam mammae secreta, quo membranarum serosarum et cellulosae halitus pertinent; offertur eorum speciatim frequentior morbus, a quibus separatus latex, veluti urina et lac, acido libero scatet. Cuius rei veritas ut luculentius appareat, paucis repetam, quae in sectione prima sigillatim exposita habes. Maxime eminens et generalis aegrotandi modus plerarumque harum partium est secretio nimis aucta, atque ad eam imprimis in hoc latere magis quam in opposito inclinare videntur ad unam omnes. Frequentius enim sinister cerebri ventriculus, sinistrum cavum thoracis, vagina sinistri testis nimiam aquae copiam continent quam eadem dextra cava: saepius in ovario laevo ac intra tunicam cellulosam laevum funiculum spermaticum ambeuntem aqua accumulatur: pedibus oedemate auctis vel corpore anasarca tumefacto sinister pes sinistrumque brachium dextris magis plerumque tument, eiusdemque pedis tumor pertinacior et difficilius discutiendus esse solet: sinister oculus in variolis prae dextro plus lacrymarum fundit; quibus addas,

Roosium (1) in vesicae urinariae inversae prolapsu ex ureteris sinistri orificio maiorem saepe quam e dextro profluentem urinae copiam observasse. Operae certe pretium erit accurate investigare, num alii etiam vesicae prolapsae casus observatori idem exhibeant, atque inquirere, anne, uti probabile est, etiam mamma laeva, quae dextram saepe magnitudine superat parotisque eadem dextris facilius ad uberiorem secretionem advocentur, anne oculi quoque et articulorum hydropes sinistrum latus potius teneant. Quod deinde ad earum partium aliusmodi affectus attinet, renum sinister dextro longe frequentius lithiasi afficitur, crebrius inflammatur et suppuratur, mammarum sinistra imprimis aegrotat in puerperis atque scirrho et cancro depravatur, parotidumque si altera modo intumescit, plerumque est laeva. Tum pleura laeva saepius pus intra cavum suum effundit, atque membranae serosae in universum ad inflammationem adhaesivam magis hoc in latere inclinant. Pulmo quidem dexter laevo frequentius adhaesiones abnormes contrahit, quod autem a crebriore eiusdem inflammatione, cuius fere semper pleura participat, pendere

---

(1) Ei. diss. de nativo vesicae urin. inv. prolapsu. Gott. 1793. §. 41.

videtur; in cadaverum sectionibus enim a me collatis frequentius, quam dextra pleura, sinistra absque ipsius pulmonis manifesto vitio adhaesisse mihi visa est, eademque plerumque fuit, ubi firmissime alterutram adhaesisse retulerunt. Sinister processus vaginalis peritonaei dextro citius et firmius coalescere solet, et, ni fallor, saepius etiam lien cum partibus vicinis abnormiter concrevisse deprehenditur quam hepar. Praeter adhaesiones vero illas pleurae et hydrocelen cysticam, quam iam supra cum ceteris hydrocelis conciliavi, de nulla omnino secretoriorum hanc in seriem pertinentium organorum affectione relatum inveni, in latere dextro frequentius eam obvenire. Nihilominus tamen certas quasdam ipsorum degenerationes huic lateri magis peculiares esse non modo non negem, sed potius credam.

§. 140. In corpore dextro contra ex symmetrice ab utraque parte dispositis organis ea frequentius laborare reperimus, quae non aquosorum acidorumque separationi dicata sunt, cerebri scilicet hemisphaerium, pulmonem, testem, ovarium, (cujus hydropem tamen excipias,) quibus hepar se adiungit ab hoc latere situm. Solae glandulae conglobatae de ea lege decedunt, in sinistro latere saepius aegrotantes, earum vero qualis proprie sit functio, quis

modus, quo in humorem a vasis lymphaticis sibi adductum agant, etiamnum nescimus. — In utroque latere itaque eminentior ad morbosas affectiones dispositio obiicitur certae cuiusdam seriei organorum, quae sibi invicem aliquo respectu valde affinia, iis alterius lateris dissimilia sunt atque e contrario obstant. Quae quidem utriusque seriei oppositio tum etiam non tollitur, quum partium dextrarum affinitatem, de qua maiori, ac primo aspectu esse videatur, infra etiam pauca dicentur, in eo tantum locatam esse conveniamus, quod non in classem illam organorum secernentium, quam in sinistro latere praesertim morbis obnoxiam superiori paragrapho indicavi, referenda sint.

§. 141. Ut partes, quae in sinistro et quae in dextro dimidio corpore frequentius afficiuntur, ab invicem differunt, aegrotandi modus etiam, generaliter spectatus, alius est in alio latere. In sinistro aegra vegetatio aquosi laticis imprimis exseritur separatione aucta, dum morbi dextrum prae illo frequentius tenentes ad unum omnes ad inflammationem pertineant, et ad chronicam quidem praecipue, cui ab ipsa inductae se adiungunt cum supernutritio et induratio, tum emollitio et suppuratio partium. In pulmone tantam ob vasorum sanguiferorum copiam et continuo in eum penetrantem aerem oxygene scatentem inflammatio

acutior evadere solet. Maxime eximie vero, hoc modo sibi opposita esse latera, conspicitur in ovario, a sinistra ad hydropem praesertim, a dextra ad degenerationes potius tendente, quae nonnisi efficientiae plasticae ab inflammatione chronica nimis incitatae deberi possunt. Multum vero abest, quin oppositione hacce, etiam pro exigua nostra rationis utrumque latus intercedentis cognitione, omnia e specialibus partium conditionibus non exponenda comprehendantur. Quin alterum in pulmonibus offertur hominis dextri et sinistri aegrotandi modi discrimen, quod etiam in aliis partibus forsan demonstrabit ulterior indagatio, ita ferens, ut in latere dextro morbus levior minusque acutus esse soleat ac in sinistro; dextros enim pulmonum lobos praesertim lente prorepens inflammatio et suppuratio in phthisicis depascitur, dum amplissimi abscessus in sinistris saepius exoriantur. Eo tamen nos attendit illa, vegetationem dextri lateris, ut sectionis primae nonnullis locis (1) iam innui, prae ea sinistri maiori excellere vi et energia, ita ut rarius deficiat, eadem ex causa autem facilius etiam luxurietur. Aquae enim exhalationem auctam debilis vis productivae signum iudicamus,

(1) §. 81. 130. 131.

atque quid est, quaero, quod maiori ipsius efficaciae adeo respondeat quam inflammatio chronica, quae saepissime nutritione nimia et induratione, quin novarum partium formatione exseritur? Idem tum ulcera nos docent laxa et omnem medelam respuentia, quae sinistrum crus frequentius ac dextrum defoedant nec ubivis a liene hepateve aegrotante derivari queunt (1). Eademque productionis dignitas in dextro latere superior in flore ipsius, novi individui formatione, earumque partium, quae hanc movent eique moderantur, conditione est conspicua. Etenim in dextro uteri latere ovulum radices agit et ab hac parte nutritium laticem capit; dextri ovarii efficientia formatrix saepius quam sinistri nimium in gradum effertur, adeo ut rudia novi individui initia, pilos, ossa informia dentesque procreet, et, a concubitu incitatum, formandi embryonis primum materiale initium non propellat a se in tubam, sed ipsum foveat germen atque excolat; dexterque testis tandem plerisque viris maior est. Quibus addere licet, nullam praeter canalem intestinalem esse partem, in qua tam crebro animalcula propria vita gaudentia procreentur, quam hepar dextro lateri adsitum. Eandem

(1) Cf. §. 131.

denique etiam vitia conformationis probant, quorum nonnulla sunt dextro, nonnulla sinistro lateri magis peculiaria.

§. 142. Omnino enim statuendum est cum Isenflammio (1), in universum, si aliquid imperfecte formatum sit, vel omnino deficiat, sinistrum saepius esse quam dextrum, si autem superfluat aliquid, saepius esse dextrum. In latere sinistro frequentius quam in dextro unam alteramve extremitatem mancam reperiri, supra dixi. Non praetereundum tamen est, acephalorum descriptionum, quas Tiedemannus (2) et Meckelius (3) summa contulerunt cum diligentia, comparationem non mihi exhibuisse similem legem; quod vero, maxime impeditam et imperfectam modo consideremus vim formatricem, cui illa originem debent, facile conciliamus. Ubi contra superfluit digitus aliave aliqua pars, dextro lateri plerumque adhaeret. In simplice labio leporino fissoque palato fissura plerumque est ad sinistram septi narium cavumque oris cum solo sinistro narium cavo communicat; si dextrum palatum autem imperfecte evolutum est, vix nunquam

---

(1) L. c. p. 13.

(2) Ei. *Anat. der kopflosen Missgeburten* 1810.

(3) Ei. *patholog. Anat.* B. I. p. 140. seq.

non sinistrum quoque prave est efformatum, — unde duplex labium leporinum, — septique pars inferior a dextra maxilla longius plerumque distat quam a sinistra (1). Quocum convenit, sinum frontalium septum crebro magis ad dextram vergere sinistrumque cavum dextro saepissime amplius esse (2); unde narium quoque septum partibus etiam bene formatis frequentius ad dextras conchas propius accedere probabile fit. In uteris bifidis et bicornibus deinde dextra pars sinistra crassior plerumque deprehensa est ac magis perfecta. Musculos saepius in dextro latere quam in sinistro adesse superfluos, Isenflammium recte statuisse e comparatis satis numerosis observationibus comperi; efficere vero nequii, num in latere sinistro e contrario re vera frequentius singuli desiderentur. Itidem in dextro ureteres, arteriae venaeque renales longe crebrius duplices, hae vel triplices quadruplicesque adfuerunt, dum, si defuit alter testis, ovarium, pulmo, saepius fuerit sinister, dum et cerebri sinistra pars crebrius ac dextra imperfecte evolvi videatur: alteram enim basis cranii partem, et sinistram quidem praesertim, in semicretinis

---

(1) Meckel l. c. p. 545.

(2) Blumenbach prolus. anat. de sinibus frontal. 1779.

saepe altera contractiorem reperiri dicunt (1). Renis contra vel alterius deficientis vel unius e duobus confecti et ad alterum spinae latus dispositi tredecim in casibus in dextro, alterisque in tredecim in sinistro latere unicus ren haerebat: atque sex feminarum, quibus sub altera mamma tertiam lac praebentem haesisse relatum est, unica dextra et vel quinque sinistra duplici gaudebant. Quae quidem aeque ac mammae sinistrae testisque dextri magnitudo saepe maior dedocere videntur, organa illa secernentia, de quibus iam actum est, in universum magis eminere in sinistro latere, cerebrum autem, pulmonem, testem, ovarium in dextro magis praestare, ac propter hoc esse, quod in iisdem lateribus quaeque praesertim aegrotent. Qua in re dispositione etiam corporis anatomica valde confirmor, quippe qua pancreas, cuius secretum salivae simillimum inter fluida illa referendum aquae copia serum sanguinis longe superantia, atque pericardium, peculiaris membranae serosae saccus, laevo, hepar autem, organis postremo loco dictis aliquo respectu saltem affine, dextro lateri pro maiori sui parte inhaeret, ventriculi fundus, praecipuus succi gastrici tantopere ad aciditatem

---

(1) Authenrieth *Physiologie*. T. III. p. 291. §. 1048.

vergentis fons, penitus ad laevam concessit atque pulmonis dextri insignior est magnitudo. Ad hoc et carotidis dextrae origo e trunco anonymo, propter quam sanguinem ad dextram capitis partem maiori vehementia ferri probabile est, eiusdem, et cerebri dextri in specie, maiorem aliquam praestantiam indicare videtur.

§. 143. Quodsi, quae superioribus paragraphis de vegetationis vitiis corpus sive dextrum sive sinistrum dimidium prae altero diligentibus acta sunt, componis probeque perpendis, si summo consensu etiam nervorum morbos idiopathicos sinistrum latus prosequi cogitas: intelligis, quam longe a recta via deflexerint, qui e conditionibus ad singulas modo partes pertinentibus singula phaenomena explicare studuerunt, negligentes omnino, parsne eadem alio modo in eodem alterove latere frequentius prehenderetur, anne affinis idemve morbus in alia parte eodem se haberet modo, parem itaque explicationis modum postularet, illibi adhibitum autem quam maxime respueret: unde fieri non potuit, quin rationes ab ipsis excogitatae hic illic vel aperte sibi contradicerent. Differentiarum corporis dimidias partes intercedentium, quas aegrorum observatio hucusque nobis obtulit, totam summam respiciamus necesse est, si frequentiae variorum morborum

alius in alio latere causas pro merito illustrare cupimus. Generale autem omnino esse debet ac in universi corporis constitutione positum hominis dextri et sinistri discrimen, quod efficere valuit, ut et partes in quoquo latere ad aegrotandum procliviores summopere inter se conveniant, et morbis, ad quos inclinant, in quoquo peculiaris in universum sit indoles.

§. 144. Generalis eius discriminis imago praecipuis lineis in superioribus eo ipso iam delineata est, quod, quomodo differentiae speciales inter se conveniant, exposuerim. Quaeritur nunc, unde ortum habeat et quae eius sit causa efficiens. Primo loco est investigandum, num fabricae corporis, quatenus asymmetricam anatomicae nostrae disquisitiones palam faciunt, debeatur. Systematis autem nervorum cerebralis affectus idiopathici ad unum omnes sinistrum latus prae dextro potius afficiunt: tamen anatome inter cerebri et medullae dimidias partes omnino nullam detegit differentiam, neque, ramificationem modo non semper sibi constantem excipias, inter dextros et sinistros ab ipsis exeuntes nervos ullam ostendit. Quod iam sufficere videtur, quo fabricae corporis partes in gignendo illo discrimine omnes denegandas esse doceamur. Ut vero suspicio etiam deleatur, alia causa effici ut latus sinistrum magis ad morbos nervorum propendat,

illa autem, ut morborum vegetationis alia series in sinistro, alia in dextro praecipue obveniat, in ea corporis asymmetria subsistere oportet, quae sola plerasque eius partes spectat, ideoque sola hic ad nos attinet, eoque magis, quum a multis ad exponendas speciales nonnullas differentias adhibita sit. Aortae laevum, venarum cavarum dextrum situm intelligo, quo fieri dicitur, ut per breviores arterias maiori in partes sinistras sanguinis penetret impetu, per venas longiores et ad partem sub angulis fere rectis invicem sibi impositas vero minus expedite ex iis redeat, facilius igitur in iis quam in dextris congeratur et stagnetur. Utriusque ventriculi cerebri lateralis autem vasa praecipua in eundum sinum longitudinalem influunt, dextra carotis sinistra forsan vehementius, certe non minus fortiter sanguinem proiicit, et nihilominus illorum sinister, pariter ac pleura, ovarium, tunicae vaginales sinistri lateris, est prae dextro ad hydropem magis pronus; paucae lineae deinde, quibus vena iliaca sinistra est longior dextra, ad longam viam sanguini a pede ascendenti percurrendam plane evanescunt; neque quisquam erit, qui cerebri, pulmonis testisque dextri frequentiorem inflammationem prorsus vetare neget, quin sinistras partes ad sanguinis congestionem et stagnationem dextris magis dispositas credamus.

§. 145. Praeter architecturam corporis mores et consuetudines hominum hic in censum nostrum veniunt. Inter eos autem tantum considerandi sunt frequentior brachii pedisque dextri usus et consuetudo, quae est plerisque nostrum, dextro lateri praesertim incubandi; nam ii soli totius alterius lateris constitutionem aliam reddere queunt. Ut de posteriori primum dicam, in corpore, ubi sanguinem circumvehentia vasa debiliter agunt atque vegetatio laxa est et minoris energiae, si cubandi modi aliquid omnino hac in re interest, eo in latere, in quod devolutus aeger iacere solet, humorum circuitum magis retardari faciliusque quam in altero serum extra vasa effugere debere, dubitari nequit; ex communi observatione autem dextro praesertim incumbitur, dum in sinistro imprimis hydropes conspiciantur et largiores fiant aquosae secretiones. Quibus vero ob consuetudinem illam saepius hoc refrigerari et propterea hydropibus etc. crebrius affici videatur, opponam cum aquam in sinistro cerebri ventriculo, ovario et tunica vaginali saepius accumulatam, tum praecipue inflammationes istas, quae dextrum latus magis infestant.

§. 146. Quod deinde ad maiorem partium dextrarum motum attinet, constat quidem frequenti motu et contra morbos nervorum corpus

defendi et humorum circuitum promoveri vegetationemque roborari; quaero tamen ex te, num musculorum brachium et pedem illum moventium frequentior validiorque contractio possit etiam in cerebro, pulmone, ovario, teste dextro partibusque eorum vicinis sanguinem fortius circumagere et firmare vegetationem? At nervorum musculos eos adeuntium incitationis auctae et efficientiae ab aberrationibus magis tutae contendes, omnes reliquas eius lateris nervosas partes, intime cum ipsis connexas, participes fieri, eaque, qua in vasa nutrientia et secernentia polleant, potentia ad superiorem eadem acciere valorem. Quo posito autem nihilominus in variarum specialium differentiarum expositione difficultates obiiciuntur non superandae; quarum ulterior explicatio vero quum longius me abductura fuerit, id unum modo adiiciam, ne in nervorum quidem affectus haec satis quadrare, quia scelotyrbe, cum reliquis eorum idiopathicis in eo conveniens, quod laevum frequentius affligat latus, infantes plerumque prehendit, et hemicrania hysterica aetate provecta ab altero latere in alterum magis concedat. Omnium gravissima denique ut afferam, eo, quod formationis etiam vitia legem aliquam exhibeant, qua alterum latus prae altero potius teneant, eoque, quod usus artuum dextrorum maior, et

omnibus orbis terrarum populis communis, et in ipsis animalibus observatus, merus antiquitate sancitus mos nequaquam haberi possit, adesse aliquod hominis dextri et sinistri discrimen convincimur ei usui non debitum, sed innatum et cum ipsis, quas intercedit, partibus genitum, cui ipse ille originem debeat. Quale supponere a structura etiam corporis non ubivis symmetrica iubemur. In animalibus autem quoque dextris pedibus principatum esse, MONROUS (1) aliique iam dudum ex eo collegerunt, quod canes, equi etc. et priores eos movere, alteros deinde postponere, et insistere iis imprimis soleant: equidem luculentius in psittaco vidi, quem diutius observandi occasio fuit, qui quidem omne porrectum alimentum dextro pede tenuit orique admovit, idemque, quum sinistro imposuissem, antequam eo vesceretur, semper rostro, tunc iterum dextro ungue cepit, somno sopitus autem eidem pedi fere semper institit.

§. 147. Altius itaque in ipsa corporis intima organisatione discriminis generalis, quod dimidias eius partis intercedit, nec structurae ipsius asymmetricae, nec consuetudini dextro lateri incubandi, nec denique maiori

---

(1) Ei. *Vers. u. Abhandl. ü. vergl. Anat.* 1790. p. 18.

partium dextrarum usui debiti, causa quaerenda est; eo magis, quum et vitia conformationis in altero latere saepius quam in altero obvia cum differentiis illis, quae quoad morbos inter utrumque intersunt, quam plurimum conveniant, et in hisce quoque principatus dextri lateris, quem usus eiusdem maior indicat, conspicuus sit. Alium latus aliam in universum vitam vivere dicerem, si absque partium a dextra et sinistra sibi respondentium summa conspiratione valetudo absolute bona cogitari posset. Eo igitur verba restringam, corpus ita esse constitutum, ut utrumque dimidium dissidere et diversam certamque versus partem a summa valetudine deflectere tendat. Organisationem autem ipsius quum altae tenebrae abscondant semperque sint absconditurae, discriminis eius penitiorem indolem atque finem nonnisi vagis et infirmis coniecturis attingere valebimus. — Ceterum fabricae illius, cubitus et usus, de quibus modo locutus sum, quamquam ipsis in generali hominis dextri et sinistri differentia nihil omnino tribuendum censeam, maximum in specialibus quibusdam esse momentum, e sectionis primae nonnullis paragraphis prodit, ubi ad eos provocatum est. Quibus hic loci addam, maius artuum dextrorum volumen certe motui ipsorum maiori deberi, verique esse simile, ad puerperarum frequentiores

sinistrae mammae affectus crebriorem eiusdem refrigerationem multa conferre.

§. 148. Scientiis medicis eo incrementum sane magnum accessit, quod physiologi recentiores elementorum quatuor, quae imprimis corpus animale constituunt, oppositiones relativas mutuasque affinitates, quarum in condenda ea, quam conspicimus, corporis organisatione et perficiendis processibus, quibus vita servatur, quam plurimum interesse censendum est, accuratius reputaverint. Neque, quum, quae ipsarum cum discrimine illo sit connexio, enucleare studeam, plane infructuosi aliquid suscepisse mihi videor, imprimis qui eodem accuratius hoc sim definiturus. — Morborum autem vegetationis, quibus in sinistro latere praesertim sedes est, recensitam seriem perlustrantes in alios incidimus, in quibus utraque aquae forma, et oxygenes et hydrogenes, praevalet reliquisque duobus elementis longe antecellit, in alios, in quibus sola negativa, oxygenes, distinctius eminet ceterisque elementis, ipso etiam hydrogene, insigniter praeponderat. Sub illis largiores intelligas secrectiones laticis aquosi. Ad morbos vero, in quibus oxygenis tantum ratio iusto major apparet, referas prae ceteris genesin urolithorum, quos tantum non semper acidum uricum constituit maiori copia, quam qua solutum teneri

potuerit, separatum: referas adhaesiones membranarum serosarum et frequentiores ab hac parte et saepissime firmiores. Nec non oxygenes praevalet, carbonicum et azoticum contra longissime recedunt in ossificatione, ad quam abnormem itidem latus sinistrum proclivius esse videtur. Quae enim apud varios autores mihi occurrerunt substantiae osseae in cerebro ejusque meningibus obviam factae exempla, pleraque laevum spectabant latus; tum tribus, in quos incidi, pleurae ossificatae in casibus sola sinistra ita degeneraverat; neque ullibi materies lapidea tam frequenter deponitur quam in corde et aorta, tum in lienis tunica ipsaque substantia, partibus videlicet sinistro corporis lateri adsitis. Quod latus ad ossificationem magis propendere craniorum quoque ossiculis Wormianis gaudentium contemplatio edocere videtur. Nam talium quindecim in theatro nostro anatomico asservatorum, quae comparare aliquando licuit, longe pleraque in latere sinistro plura ossicula spectanda mihi praebuerunt quam in dextro. Quacum re bene convenit, laevum os bregmatis vel sutura vel interstitio libero in duas partes seiunctum obvenisse et Doeverenio et Winslovio et Suio et Meckelio, dextrum et sinistrum ita divisum nonnisi bis a Meckelio repertum esse. Haec autem ossificationi in latere sinistro magis proclivi, qua

pro paucioribus plura puncta ossificationis emergant, vere tribuenda esse, ex eo intelligo, quod et normalis ossis bregmatis evolutio nihil illi divisioni simile exhibeat, et in craniis illis ossiculorum, quae in sutura sagittali vel ad angulum lamboideum adessent, maior esset sinistra pars, minor dextra. — Oxygenes deinde in sinistro latere facilius ceteris elementis praeponderans subest forsitan etiam crebriori oculi sinistri cataractae; et oxygenatio lactis in mamma sinistra maior, qua coagulatio ibi magis prona fit, inter causas forsan est frequentioris eiusdem mammae morbi habenda. Quatenus vero idem illius principatus facile evocandus ad empyema, ad renis inflammationem et suppurationem eosque mammae affectus, qui non a lacte coagulato meatus obstruente pendent, a sinistra frequentius excitandos faciat, definire non ausim. Revoco tantum, quod iam attuli, organa illa secernentia saepius dicta, quorum in functione peragenda vel utraque aquae forma vel negativa imprimis prae ceteris elementis excellit, in latere sinistro probabiliter in universum magis praestare, eoque ipso ad morbos in ea parte procliviora reddi. — Ceterum oxygenes huic imprimis respondere lateri eo etiam docemur, quod, ubi partium corporis dispositio a symmetria abscedat, magis oxygenatae semper laevam versus migraverint. Est enim

hanc in partem repositus fundus ventriculi, e quo succus gastricus originem ducit, atque declinant ad eam a medio corpore cum magna arteria oxygenatum sanguinem vehens fibrisque muscularibus instructa, tum cor, musculus irritabilitate prae ceteris omnibus pollens, quod iterum arteriosum parietibusque crassioribus gaudens cavum laevo, venosum dextro magis advertit lateri, tum tubi intestinalis robustioribus fibris muscularibus maiorique irritabilitate insignes partes, oesophagus, coli maior pars totumque rectum. In fibra musculari autem aeque ac in sanguine arterioso oxygenes praevalet, eoque magis praevalere videtur, quo eius est irritabilitas maior. Quibus adiungere liceat eodem spectans memorabile Autenriethii (1) observatum, dexrae arteriae subclaviae originem frequenter admodum sinistram versus migrare, saepissime usque post sinistram subclaviam proferri, etiam carotidem dextram saepe versus idem latus tendere videri, fere nunquam autem laevam subclaviam et carotidem iusto magis in dextram partem transponi.

§. 149. Aliter comparatum est cum latere dextro. Organa enim, quae ibi frequentius

---

(1) Reil u. Autenrieth *Arch. f. d. Physiol.* B. VII. H. 1. p. 152. — Cf. Meckel *patholog. Anat.* B. II. *Abth.* I. p. 102.

aegrotant, cerebrum, pulmo, testis, ovarium, talia sunt, in quibus oxygeni vel ei et hydrogeni praecipuas partes non esse, nec reliqua elementa recedere, sed, si omnino singula praevaleant, ea ex hisce potius esse, plurimis suademur. Quoad pulmones tantum res ita se habere minus videtur; perpendente vero, venosum et oxygene pauperem esse sanguinem, qui maxima copia iis afferatur, eundemque in arteriosum nonnisi eo mutari, quod carbonici pars oxygeni aeris inspirati nupta abigatur, re vera congrue ita accipi comprehendimus. Minus deinde oxygenis eminentia chronicae favet inflammationi, ad quam latus, de quo dicitur, praecipue inclinat, sed acutam imprimis promovet sinistro lateri, uti videtur, magis respondentem. Idemque elementum hac in parte minime praevalere, carbonicum et azoticum minime reprimi, ex eo praeterea elucet, quod sanguinem venosum eadem magis attrahat: dextrum spinae dorsi latus legunt venae et cavae et azyga, ad dexteram excurrit vena portarum et, quod prae ceteris ab Autenriethio (1) et Meckelio (2) probatum est dextrum foramen

---

(1) Reil's u. Autenrieth's *Archiv f. d. Physiol.* B. VII. p. 166.

(2) Ei. *deutsches Arch. f. d. Physiol.* B. I. p. 450.

iugulare in longe plerisque craniis sinistro maius observantibus, in dextrum sinum transversum plerumque influit sinus durae matris longitudinalis. — E pluribus videretur forsan, carbonicum esse, quod praecipue huic lateri respondeat. Quod autem ibi minus vere praevalere ceteris elementis, sed oxygenis magis recedentis respectu tantum eminere credo; haec enim duo elementa sunt, quorum, tanquam contractioni et soliditati praesidentium, dum altera ipsis obscurentur, vestigia distinctius sequi licet. Insigne dextrum dimidium corpus eo imprimis esse videtur, quod elementorum quatuor non singula ceteris facile praecellant et tanquam auctocratores se evehentia cuivis producto sua vestigia imprimant, sed omnium antitheses polares mutuaeque affinitates perfectius conspirent. Cuius rei teste vegetatione imprimis gaudeo maiori energia ibi conspicua, quae saepius ibi modum excedens superfluas novasque partes producit, rarius retro iustam efficaciam relinquitur.

§. 150. Est proclive coniicere, in latere sinistro relationem magis excellere, quae aquae duas formas, oxygenes et hydrogenes, intercedit, faciliusque ac in dextro ceteras, quae omnibus corporis animalis elementis ad se invicem esse debent, praestare, atque hinc evenire, quod ibidem in vegetationis ambitu carbonicum

et azoticum magis reprimantur et fluidorum aquosiorum separatio nimis larga inter morbos maxime promineat. Cui coniecturae vel ex fabrica corporis eximia additur veritatis species. Invenimus nempe memorabilem organorum antithesin, qua, si in uno negativa aquae forma praevalet, in altero vicino positivo magis emergit, uti ex. gr. circa arterias oxygenatas adipis hydrogenati copia adest, renes et mammae adipi immersae sunt, ossibus medulla ipsorum obstat: eamque in latere sinistro magis luculentam ac in dextro. Ibi enim ventriculo oxydatum succum gastricum separanti et omenti maxima pars opponitur et lien itidem hydrogenatus: in id latus musculosior tubi intestinalis pars declinavit, in eodem vero, uti in eximiis Walteri tabulis licet videre, plura etiam sunt nervorum ganglia, quibus hydrogenes respondet: nec non conspicua est eadem in corde, cui nunquam non adeps appositus reperitur; paribus, quae dextro lateri sint peculiaria, non oblatis. — Praeterquam vero quod carbonicum et azoticum in homine sinistro saepius alteris postposita sint elementis, in id praecipue supra vos attendi, oxygenes imprimis et in morborum, ad quos idem proclivior sit, multis nimium in modum evehi, et in partibus, cum quae in eo in universum praeponderare videantur, tum plerisque, quae asymmetricae ei

solum appositae sint, praevalere, nequaquam autem ceteris elementis superius habendum esse in corpore dextro. Quod multo minus ex eo fluere opinor, quod in sinistris in universum magis promineat, in dextris nonnisi minoris sit dignitatis, quam ex eadem modo dicta polaris aquae formarum oppositionis praestantia illibi insigniori, qua simul fluctuationem harum crebriorem induci morbosque frequentius evocari puto, in quibus penes alterutram principatus est prae ceteris elementis. Parem enim, ac qua partibus oxydatis a medio corpore ad sinistram repositis fere ubivis vicinae hydrogenatae oppositae sunt, antithesin inter morbos etiam huic lateri respondentes, accuratius quum inquisiverimus, fore arbitror, ut inveniamus atque alteram deprehendamus horum seriem, illi supra dictae, oxygenis eminentia conspicuae, ex adverso oppositam, hydrogene magis praevalente insignem. Quod quidem eo saltem mihi probabile redditur, quod tres casus, quos noverim, musculorum in altero modo corporis latere in substantiam adipocercam mutatorum, omnes ad sinistrum pertineant.

§. 151. E quibus maior tantum minus sufficienter exponitur affinitas, quae sinistro lateri est cum systemate arterioso, dextro cum venoso. Eaque affinitate, si alia ipsi adiungimus, veluti quod in latere dextro calculi fellei

gignantur hydrogene divites, quod hydrogenes in sanguine venae portarum ipsoque hepate eminere dicatur atque cerebro probabiliter in dextro latere sit maior praestantia, paene adducimur, ut nihilominus expositae lateris sinistri peculiaritati, cui a dextra maior omnium elementa quatuor intercedentium relationum conspiratio opponitur, tale quoque adiiciamus utriusque partis discrimen, quo sinistrum dimidium corpus positivo columnae galvanicae polo, ad quem oxygenes, dextrum negativo, ad quem hydrogenes elicitur, magis affine habeamus. Quod discrimen etiam sua, minoris licet aestimanda sint, conferet, ut in illius morbis frequentius oxygenis eminentia emergat iusto maior.

§. 152. Quod nervorum efficientia, ad quam tandem aliquando est reveniendum, in sinistro latere variis affectionibus, modo ne a vasorum systemate prave habente initium ducant, magis obnoxia sit, facili negotio, processum animalem, quo nititur, dummodo cum plurimis nostri temporis physiologis galvanico ponamus respondere, cum praemissis conciliatur. Simplicissimus enim galvanismi effectus aquae est disiunctio in oxygenes et hydrogenes, harumque eius formarum oppositioni alternantique provocationi in nervorum actione, quatenus saltem ad musculorum pertinet motum coenaes-

thesinque spectat, partes censendum est tribuendas esse summas. Ferente vero ipsarum a sinistris magis eminente antithesi polari, ut in iisdem partibus facilius etiam fluctuentur earum variae attractiones et repulsiones nec harmonice utraque eliciatur, sed altera in alia vel alia parte prae altera nimis excellat: explicatam exinde habes nervorum ipsiusque cerebri et medullae laevi lateris maiorem mobilitatem, insigniorem scilicet corporis eius dimidii proclivitatem ad motus muscularis sensusque communis affectus. Quo eodem fortassis recurret, quod arthritis anomala et rheumatismus zonaque ignea frequentius hoc latus teneant. Suspicio insuper iniicitur, in morborum nervorum ordinem praesertim alteram illam affectuum huic parti prae dextra magis peculiarium seriem recedere hydrogénis principatu insignitam, eamque tantum, quae oxygenis aucta ratione distinguitur, vegetationis praecipue prodi alienatione.

§. 153. Eadem a causa denique, quae nervos sinistros facilius turbandos reddidit, illatum esse censeo, quod dextro brachio pedeque prae sinistro potius utamur. Non adeo enim in latere sinistro ac in dextro sibi constantibus istis elementorum corporis humani mutuis relationibus, quarum summa conspiratione necessario opus est, ut voluntati liberum sit supra musculos ei

subiectos imperium, illibi ita perfecte huic obedire nequeunt musculi magisque ad inordinatas nec ab anima ita iussas oscillationes contractionesque tendere debent. Ad hoc subclaviae arteriae et carotidis dextrae origines in truncum anonymum coniunctae sunt, quo, quum propter dispositionem hancce eodem temporis spatio in dextrum brachium plus sanguinis ac in sinistrum impelli oporteat (1), magnopere in illo promoventur elementorum disiunctionis et recompositionis vices, quibus omnes niti videntur processus vitales. Quae autem quum ad exponendum maioris partium dextrarum usus ortum sufficere videantur, eo ipso etiam magis probatum habeas, quod e plurimis supra adstruxi, naturam iam in formando corpore illum molitam esse, eumque nequaquam consuetudinem putari posse forte inductam et a patre in filium translatam. Quocum si, quae de morbis antea acta sunt, componis, haud vana figmenta protulisse intelligis, qui dextrum latus sinistrum in universum praestare sustinuerint.

---

(1) Sömmerring *Gefässlehre*. §. 97.

INDEX RERUM.

COMMENTATIO

DE

CYNANCHE THYREOIDEA

ET

STRUMA INFLAMMATORIA

QUAM

PROFESSIONEM MEDICINAE ORDINARIAM

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

PUBLICA ORATIONE AUSPICATURUS

SCRIPSIT

D. JO. GUIL. HENR. CONRADI

BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI AB
AULAE CONSILIIS, SOCIETATIS REGIAE
SCIENTIARUM GOTTINGENSIS ET ALIARUM
SOCIETATUM LITERARIARUM SODALIS.

Inflammatio glandulae thyreoideae, quae *cynanches* sive *anginae thyreoideae* nomine signatur, in rariorum morborum numerum referenda atque a plerisque pathologis usque ad novissima tempora adeo neglecta est, ut vel in plenissimis de cognoscendis et curandis morbis operibus prorsus omissa, aut obiter tantum in specierum anginae externae designatione mentio ejus facta, neutiquam accuratior descriptio tradita sit.

Ex iis vero, qui hisce temporibus illam accuratius observaverunt et paulo diligentius descripserunt, inprimis nominandus est celeberrimus anatomiae pathologicae scriptor Matth. Baillie. Et ipse quidem Vir ill. in priore egregii sui anatomiae pathologicae compendii editione nullam hujus morbi mentionem fecerat, deinde vero in additamentis ad hoc opus

et in nova editione (1) plura lectu digna de ejus symptomatibus et decursu tradidit. Attamen notandum est, Virum ill. plura symptomata, quae in gravioribus casibus tum ab aliis a me observata sunt, non commemorasse, atque ideo descriptionem hujus morbi ab illo exhibitam minime omnibus numeris absolutam esse. Nam nonnisi tumorem, duritiem et dolorem glandulae thyreoideae, pressione atque, ut illi videbatur, etiam deglutitione ingravescentem, tanquam symptomata essentialia proposuit, capitis gravitatem sive temulentiam et alia vehementiora omisit. Neque viro ill. plane concedi potest, cynanchen thyreoideam non solum celeriori cursu et doloris sensu, sed et minori tumore a struma distingui posse, cum compertum sit, illam quoque saepius majorem tumorem efficere (2).

---

(1) Conf. Samml. auserles. Abhandl. f. pract. Aerzte, B. 20. S. 355. 361. et Anhang zu Matthew Baillies Anatomie des krankhaften Baues. Nach der fünften Original-Ausgabe übers. von *Carl Hohnbaum* und mit neuen Anmerkungen vermehrt von *S. Th. von Sömmerring*. Berl. 1820. 8. S. 31. 41-42.

(2) Eademque experientia Cl. *Schmalzii* (Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik in Tabellen. 3te Aufl. Dresd. 1816. fol. p. 82.) sententia, in cynanche thyreoidea tumorem nunquam ad insignem magnitudinem augeri, confutatur.

Contra ea terrentiorem morbi imaginem expresserunt alii, in quorum numero praecipue notandus est ill. Ph. Fr. de Walther (1). In casibus ab illo observatis inflammatio glandulae thyreoideae vehementes dolores et brevissimo temporis vel unius noctis spatio magnum tumorem, gravem non solum deglutitionis sed etiam spirationis difficultatem, praecipue vero molestam capitis gravitatem sive temulentiam, susurrum aurium atque propensionem ad haemorrhagiam narium efficiebat. Omnia denique incommoda, quae in struma lymphatica lente tantum nascuntur et paulatim augentur, hic subito ingravescebant. Praeterea non levi febre juncta incedebat.

Ceterum ill. de Walther credidit, cynanchen thyreoideam, si eam ad strumae species referre velimus, *strumae inflammatoriae* nomine signandam esse; in quo tamen quum ob varias eorum morborum, qui tumore glandulae thyreoideae insignes sunt, rationes, tum ob verae cynanches thyreoideae et strumae vulgaris discrimen adstipulari ei non possum. Equidem

---

(1) Vid. ej. Neue Heilart des Kropfes durch die Unterbindung der obern Schilddrüsen-Schlagadern etc. Sulzb. 1817. 8. p. 17. sqq.

potius crediderim, *strumae inflammatoriae* nomen ad eam glandulae thyreoideae inflammationem transferendum esse, quam nonnunquam ad strumam accedere videmus. De hac vero, quam in designatione variarum strumae specierum WALTHERUM plane neglexisse miror, infra pauca in medium proferre constitui.

Similem hujus inflammationis formam observavit juvenis doctus, AUG. GULIELM. HEDENUS (1), Berolini in ill. GRAEFII clinico chirurgico. Et ipse quidem morbi decursum his verbis descripsit (l. c. p. 44.): » glandula ipsa » partesque adjacentes magis intumescunt et » calefiunt, aeger primo dolorem surdum in » profundo partis affectae, pulsationemque ar» teriarum sentit, quae de die ad diem magis » crescunt acriusque pungunt, pressionem di» gitorumque tactum vix perferre potest, sitis, » inquietudo adaugetur, deglutitio molesta fit, » omnes aegroti difficillime respirant, spiritum» que trahunt, quod ex compressione tracheae » a glandula lata et inflata effici liquido con» stat, sic enim liberior aeris transitus per ar» teriam asperam satis impeditur, ut non sine

(1) Vid. ej. Tractatus de glandula thyreoidea tam sana quam morbosa inprimis de struma ejusque causis atque medela. Lips. 1822. 8. p. 43.

» molestia quadam aerem inspirare ac remit-
» tere queant: hinc enim loquela illorum ad-
» modum mutilata et corrupta fit, dum magno
» conatu et miris gestationibus verba male ar-
» ticulata proferunt. Accedit stertor narium,
» raucedo et asperitas gulae, unde voce ob-
» tusa et rauca nec unquam clara gaudent et
» denique sopores, vertigines et dispositio ad
» apoplexiam ex compressione vasorum sangui-
» ferorum oriuntur, quae reditum sanguinis a
» capite impedit, ideoque congestionibus san-
» guinis versus caput vehementissimis ansam
» praebet. »

Graviorem hanc morbi faciem ego quoque observavi in nosocomio, quod Heidelbergae a me institutum fuit. Infanti enim tres hebdomadas nato magnum glandulae thyreoideae tumorem, dolorem et non solum deglutitionis, sed et respirationis summam difficultatem efficiebat haec inflammatio, praecipue vero hirudinibus tumori appositis et aliis remediis antiphlogisticis cito ad sanitatem perducta est.

Hanc morbi historiam jam D. Frid. Otto Henr. Hüpeden, disciplinae meae alumnus dilectus, in dissertatione sua inaugurali (1) tradidit.

(1) Diss. Sist. animadversiones de affectionibus inflammatoriis glandulae thyreoideae. Heidelb. 1823. 8. p. 13-14.

Idem collatis cum ea ill. DE WALTHER et aliorum observationibus praeter dolorem, calorem et ruborem inprimis tumorem insignem, qui semper (?) cum ea conjunctus sit, spirationis et deglutitionis difficultatem, capitis gravitatem sive temulentiam, susurrum aurium, haemorrhagiam narium, soporem et dispositionem ad apoplexiam symptomata pathognomonica hujus inflammationis esse judicavit.

Verum enim vero non semper illam terrentiorem formam induere solet cynanche thyreoidea, sed mitior etiam ejus facies, qualem ill. BAILLIE depinxit, ab aliis observata est. Sic b. THILENIUS (1) illam angina tonsillari iunctam vidit, ubi glandula thyreoidea viginti quatuor horarum spatio ad magnitudinem ovi gallinacei intumuerat, deglutitio tamen haud valde impedita erat, nulla vero spiritus difficultas accedebat. Sentiebat autem gravitatem prope laryngem, ex contactu dolentem, et siccitatem gulae, tussicula fere perpetua et screatus eam exercebant, atque vox et tussientis et loquentis mirum in modum stridula erat, pulsus paulum frequentior, ceterum vires satis validae. Hirudinibus collo appositis, mixtura ex nitro et spiritu Mindereri composita, gargarismate ex decocto

(1) Midic. u. chirurg. Bemerkungen, Th. 1. S. 45.

Malvae et Cicutae, quibus denique Spongia marina usta et unguentum mercuriale camphoratum addebantur, undecim diebus sanata est.

Mihi quoque contigit, ut hoc anno similem casum in instituto clinico Heidelbergensi observarem. Ancilla triginta annos habens, quae se antea bona valetudine usam esse dicebat, nisi quod ante tres hebdomadas vim frigoris passa odontalgia et otalgia affecta fuisset, die XII. Jun. h. a. dolores colli querebatur, qui praecipue sentiebantur in glandula thyreoidea, cujus tumor et rubor inflammationem prodebant. Tumor magnitudinem ovi gallinacei non superabat, spiratio neutiquam difficilis erat. Deglutitio quidem aliquantum impedita fuit, quod tamen vel ad levem tonsillae dextrae inflammationem, quae cynanche thyreoidea jungebatur, referri poterat. Febris quoque inflammationi huic junctae mitior ratio erat. Ceterum hirudinibus collo appositis cito inflammatio mitigata et septem fere diebus curatio absoluta est.

Patet igitur, et eorum cynanches thyreoideae descriptionem, qui tumorem majorem, spiritus difficultatem et alia graviora symptomata tanquam essentialia et perpetua proponunt, non omnino naturae convenire, sed ad certiorem diagnosin requiri, ut et mitioris et gravioris formae, quam hic morbus induere potest, ratio habeatur.

Resolutione quidem plerumque finitur haec inflammatio, si cito opportuna adhibetur curatio. Hac vero neglecta, in abscessum abire solet. Quod ubi contigit, pus aut exterius profunditur et cicatricem in collo relinquit, aut introrsum ad laryngis et tracheae cavum vertitur, ut adeo spiritu intercepto exitium sequatur. Ejusmodi abscessus in museo Hunteriano conservatus, qui hunc lethalem cynanches thyreoideae exitum demonstrat, delineatus est in ill. Baillie Engravings accompanied with Explanations, which are intended to illustrate the morbid Anatomy, Fasc. II. Plate I. Fig. 3. Sed etiam sine laryngis et tracheae erosione et puris in istam effusione aegrum vel tumore valde aucto et asperam arteriam nimis comprimente strangulari posse, probatur inprimis casu gravissimo ab ill. Jo. Frid. Meckelio III. (1) descripto, ubi mulier quinquaginta quatuor annos habens, cujus cornu dextrum glandulae thyreoideae jam ex longo tempore paululum intumuerat, in hoc vehementes dolores sentiebat, quorum causa externa non animadvertebatur, quibusque celeriter crescens tumor glandulae thyreoideae jungebatur. Quatuor hebdomadum spatio

(1) Abhandlungen aus der menschlichen und vergleichenden Anatomie und Physiologie. Halle, 1806. p. 142-143.

nondum elapso dexter glandulae thyreoideae lobus fere magnitudinem pugni adsecutus erat et asperam arteriam adeo ad sinistrum presserat, ut sub cute angulus acutus, quem efficiebat, perspicue sentiri posset, atque deglutitione jam per dies quatuor prorsus fere impedita et spirituum difficultate horrendum in modum ingravescente strangulata mulier exstingueretur. Sectione instituta in dextro glandulae thyreoideae lobo, cujus volumen auctum erat, duo cava pure repleta inveniebantur, parietes autem tracheae arcte quidem inter se commissi, annuli ejus tamen nequaquam exesi et rupti erant. Oesophagus quoque plane occlusus erat.

Causas cynanches thyreoideae quod adtinet, hae ex ill. DE WALTHER sententia eaedem esse videntur, quae alias anginae species procreant, ut frigus etc., praesertim si glandulam thyreoideam maxime afficiunt. Cum vero eadem in rarissimorum morborum numero habenda sit, ill. BAILLIE adstipulandum est contendenti (1), causas vulgares illam non facile efficere posse, atque hanc glandulam parum inflammationi opportunam esse. Nonnunquam tamen cum affectione catarrhali jungitur cynanche thyreoidea, quod et ab ill. DE WALTHER et a

(1) L. c. p. 31-32.

me observatum est. Idem Vir ill. eam vehementi strangulatione ortam vidit.

Ad curam cynanches thyreoideae absolvendam praeter alia mitiori vel vehementiori malo convenientia remedia antiphlogistica utilissimae prae ceteris visae sunt hirudines collo appositae et mercurius dulcis justa dosi datus. Si vero malo ingravescente summum vitae periculum imminet, ex ill. de Walther consilio ad venae jugularis externae sectionis maxime praesentaneum auxilium confugiendum est. Idem vero notavit, dolores quidem et alia incommoda hirudinum et mercurii dulcis usu cito mitigari, tumorem contra glandulae tarde tantum decrescere et strumoso similem per longius tempus perstare. Rem tamen non semper tam lente procedere, mihi compertum est. Quodsi vero post inflammationem tumor aliquis supersit, ad eum solvendum unguentum e kali hydrojodinico et axungia porcina confectum, quod et ad strumam debellandam magnam vim habet, utiliter adhiberi poterit.

Haec nunc quidem de cynanche thyreoidea primaria sufficiant. Jam pauca de ea glandulae thyreoideae inflammatione subjiciam, quae nonnunquam ad strumam accedit et ad quam, ut supra (p. 227.) jam monui, nomen *strumae inflammatoriae*, quod ill. de Walther cynanchae thyreoideae primariae imposuit, rectius

transfertur. Rarum quidem, sed, recte monente b. J. P. Frankio (1), certe non inauditum est, ut aliqui contendunt, *thyreophyma inflammari, suppurari*, ac more acutarum adfectionum absolvi. Haec acuta strumae inflammatoriae forma ab eodem viro immortali *Thyreophyma acutum* vocata est. Saepius vero lenta glandulae thyreoideae suppuratio observata est, ut in abscessibus, quos vocant, frigidis aut lentam inflammationem excipientibus.

In *acuto* autem et *inflammatorio* thyreophymate, J. P. Frankio notante (2), singula localis phlogosis symptomata apparent: » tensio » scilicet, calor, dolor, interdum rubor con» spicuus, arteriarum, superiorum inprimis, la» ryngearum, pulsatio morbosa, venarum vari» cosarum major repletio, livor, citior interdum » in suppurationem nisus, respirandi, deglu» tiendi difficultas conspicua, obnubilatio capi» tis, rubor turgorque faciei, febris interdum » notabilis ». Ubi in suppurationem abit, aucta tracheae et jugularium vasorum compressione majorem spiritus difficultatem, capitis gravitatem et soporem adfert, atque pus, nisi ad exteriora viam sibi parat, laryngem vel tracheam

(1) Epit. de curand. homin. morb. Lib. VI. P. II. S. 807.
(2) L. c. p. 83.

arrodere atque in ejus cavum effusa suffocationem efficere potest. Attamen non semper in abscessum abit haec inflammatio, sed et resolutio ejus exspectari potest. Quod probatur observationibus a CARRONIO (1) traditis, quas HEDENUS (2) et HÜPEDENIUS (3) perperam ad cynanchen retulerunt. Nam utique ad strumam jam inveteratam inflammatio hic accessit atque hirudinibus et aliis antiphlogisticis et derivantibus remediis hactenus resoluta est, ut struma per inflammationem aucta ad pristinum statum rediret. Strumam vero inflammatoriam etiam prius, quam in abscessum abierit, mole sua spiritum intercipere posse, probatur casu a D. REQUEMIO ann. 1807. Lutetiae Parisiorum in nosocomio St. Antonii observato (4).

E contrario interdum accidit, ut struma suppurationis ope cito sanetur. Ejusmodi observationes jam in medium protulere Jo. DAV. MAUCHARTUS (5) et WILH. LUDOV. WILLIUS (6),

---

(1) De l'inflammation de bronchocele, par M. JACQUES CARRON. In Journ. général de médecine, de chirurgie et de pharmacie, redigé par SEDILLOT, T. XLIX. p. 21-25.

(2) L. c. p. 43.

(3) L. c. p. XI-XII.

(4) Conf. Dictionnaire des scienc. méd. T. XVIII. goitre p. 526.

(5) De struma feliciter suppurata. In Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. I. Obs. XVII. p. 67.

(6) De struma suppurationis vi sponte rupta et feliciter curata. In Nov. Act. Nat. Cur. T. III. p. 412.

quibuscum conferantur ii casus, ubi suppuratio corporibus externis laedentibus producta est (1). Ill. J. P. Frankius (2) autem de hoc exitu agens non solum observationem ab eximio de morbis vasorum lymphaticorum scriptore, Cl. Assalinio (3) relatam memorat, quum mulierum inter se rixantium alter alterius, quae thyreophymate praemagno laborabat, tuber gutturosum arrepto veru transfodit, unde magna inflammatio, extremo suppuratio abundans secuta et thyreophyma hujus ope prorsus sanatum est; item aliam, quum mulieri quadragenariae, cynanche tonsillari laboranti, antehac dyspnoea adfectae, ante tempus aliquod glandula thyreoidea, ut cicatrix ampla cum reliquo tumore hanc ipsam ad glandulam docebat, ex parte suppurata fuit; sed et casum notabilem, quem ipse perpessus est, hisce verbis descripsit: » Nos ipsi, sextum inter septimum-
» que aetatis nostrae annum, thyreophymate
» *acuto* laboravimus. Brevi scilicet tempore, in
» quantum recordamur, tumor hic ad guttur

(1) Vid. Verduc Pathol. de Chirurg. T. II. p. 309-10, Assalini Essai med. sur les vaisseaux lymphatiques p. 68.

(2) L. c. p. 81-82.

(3) Essai médical sur les vaisseaux lymphatiques etc. à Turin 1787. 8. p. 68.

» quamplurimum augeri, tandem vero, abs-
» que causa cognita, inflammari ac suppurari
» inceperat. Ob medici experti in patria pe-
» nuriam, ad vicinae exiguae urbis (Pirmasenz)
» chirurgum castrensem, virum certe imperi-
» tum, a parentibus nobis transmissis, *ner-
» vum*, sub reclinatione capitis violenta, nobis
» *ad guttur ruptum* esse, hic agyrta graviter
» edixit, mortemque hoc a malo ineluctabilem
» adnuncians, nullum artis praesidium paren-
» tibus proposuit. Perterrita mater, dum tu-
» morem fluctuare, prae tensione splendere,
» cutem vero ejusdem jam tenuem, sublivi-
» dam, a venis varicosis, coeruleis et amplis
» undique percurri conspiceret: non minus
» animosa, quam tenera, et melius esse an-
» ceps, quam nullum experiri remedium, se-
» cum reputans, barbitonsorem loci vocari,
» ac incognitae naturae abscessum, ubi spa-
» tium venis turgidis intermedium permitteret,
» pertundi jubet. Mox a peracta incisione,
» pus copiosum, tenax, albuminoso humore
» et cruore intermistum, tumorem deserit;
» collabitur hic quamplurimum, et catapla-
» smate ex pane et lacte obtectus, quod in
» se restitit, maturum magis, quotidie com-
» pressus, evomit. Post aliquot hebdomadas,
» subsidente in totum tumore, paucus adhuc
» humor serosus ac tenuis, exiguo foramine

» effluit, et sine interruptione ad annum ae»
» tatis decimum sextum et pubertatis ad epo»
» cham usque, plus minus effluere pergit. Tunc
» vero absque ulla adhibita cura, ulcus exi»
» guum et quasi fistulosum, extemplo arescit;
» perfecte mox clauditur, atque cicatricem
» inaequalem, laryngis parte infima et sini»
» stra, omnino quidem siccam, sed, ad prae»
» sentem jam senectam, saepius prurientem, —
» *thyreoidea glandula omni in totum destructa*
» *et consumta*, nobis reliquit ».

Ejusmodi casum rarissimum ego quoque in instituto clinico Heidelbergensi observavi, cujus descriptionem, etsi illum jam meae disciplinae alumnus, supra laudatus Dr. Hüpeden, in dissertatione sua inaugurali proposuit, hic adjungam, cum dissertationes academicae saepe non divulgentur.

Puella annos nata undeviginti per tres hebdomadas febre acuta, quae cum affectione rheumatico-catarrhali juncta et postremo symptomatibus nervosis stipata erat, laboraverat, tum vero per sex dies febre soluta convalescebat. Praeterea jam per annum struma ad magnitudinem fere ovi gallinacei aucta affecta erat, quae tamen ei usque ad illud tempus adeo non molesta fuerat, ut nullum remedium ad illam resolvendam adhibuisset. Die nono Januarii anni MDCCCXXII vesperi rursus

febre corripitur, quod frigoris tum culpae tributum est, cui saepius incauta et monita negligens se obtulerat. Postridie mane dolores strumam invadentes querebatur. Itaque roborantia, quibus debilitas a febre relicta debellabatur, statim reposita sunt, spiritus vero Mindereri cum diaeta ad diaphoresin promovendam idonea in usum vocatus est. Sub meridiem tumor erysipelatosus super strumam apparebat; paulo post vero tumor et dolor jam glandulam totam struma affectam occupaverunt, simulque febris aucta est. Die sequenti tumor ita creverat, ut fere supra mentum exstaret. Deglutitionem quidem impediebat, spiritus vero difficultatem insignem non inferebat. Praemissis refrigerantibus antiphlogisticis mercurius dulcis dabatur, hirudines identidem tumori appositae, et cataplasmata mollientia super imposita sunt, quae tamen remedia ad morbum mitigandum parum valebant, ita ut aegrota doloribus et febre graviter vexata somnum capere non posset. Attamen die duodecimo Januarii tumor paululum fluctuabat, sequentis vero diei hora quarta pomeridiana apertus satis magnam puris copiam effudit atque insignem in modum decrevit, doloribus et febre simul mitigatis. Insequentibus autem diebus, dum interim leniorum temperantium et cataplasmatum mollientium usus continuatus esset, perpetuo puris effluvio

tumor magis magisque imminutus et ad vigesimum Januarii diem plane resolutus est. Tantummodo paululum materiae purulentae exiit, donec initio mensis proximi parti apertae cicatrix inducta esset.

Sed haec hactenus. Superest ut indicam orationem Professionis Medicinae in Academia Georgia Augusta Ordinariae rite adeundae causa die XVII. Januar. hora locoque sueto habendam, qua de *historia medicinae Asclepiadarum* nonnulla proponam, eamque cum *medicina Hippocratica* comparabo. Huic ut faventes adesse velint Prorector Academiae Magnificus, Perillustris Commissarius Regius, Professores et Doctores omnium Ordinum maxime colendi, Commilitones generosissimi et ornatissimi, ea, qua par est, observantia rogo.

FINIS

PRIMI VOLUMINIS.